AN. LXXVI SERIES VII FASC. III. AN. 1951

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN A., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^{i} — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 11 - IX - 1951.

† Blasius Musto
Episcopus tit. Bassianensis
Coadiutor C. J. S. Episcopi Soran. Aquinaten. et Pontiscurvi
Administrator Apostolicus.

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Pii PP. XII

Pius Pp. XII. Litterae Encyclicae de sacris missionibus provehendis. (X. PAVENTI) . . . . . Pag. 379
— Epistula de novo statuto dato Consociationi Italicae a Sancta Caecilia (F. ROMITA) . . . . . » 417

S. S. C. S. Officii

Notificatio diei 30 Maii 1951. . . . . » 431
Submissionis notificatio die 30 Augusti 1951. . . . . » 432
Decretum feriae IV, diei 27 junii 1951 (M. BROWNE, O. P.) . . » 432
Decretum feriae IV, diei 18 julii 1951 (***) . . . . . » 435

S. S. C. Consistorialis

Declaratio (***) . . . . . » 437

S. C. de Religiosis.

Litterae Circulares de usu tabaci in statibus perfectionis ad supremos moderator directae (A. LUTIERREZ, C. M. F.) . . . » 441

Sacra Congregatio de Propaganda Fide.

De actione missionali Dioecesium. (X. PAVENTI) . . . . » 449

S. S. de disciplina Sacramentorum

Adnotationes. (C. ZERBA) . . . . . » 456

S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus

Norme per gli ecclesiastici che si iscrivono alle Università Statali » 463
Norme per i sacerdoti inviati ai Pontifici Atenei Romani (A. ROMEO) » 464

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota.

Coram R. P. D. PETRO MATTIOLI, Ponente - Nullitatis Matrimonii - (ex capite metus) - Sententia definitiva diei 27 jul. 1950 . . » 471

Tribunal Regionale Etruscum.

Coram R. P. D. AEMILIO SANESI, Ponente - SENEN - Nullitatis Matrimonii (ex defectu formae) - Sententia 1ae Inst. diei 5 Iunii 1951 » 482

STUDIA ET CONSULTATIONES

Commentaria in Adhortationem Ap. *Menti Nostrae* Pii PP. XII . Pag. 493
De sociali providentia Cleri (S. De-Angelis) . . . . . » 493
De Encyclica « Humani Generis » (G. Boyer, S. I.) . . . . » 500
De interpretatione Can. 83 motu proprio « Crebrae allatae sunt ». (A. Herman, S. I) . . . . . » 505

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

Immatricolazione dei sacerdoti fra la gente di mare di prima categoria con la qualifica di « Cappellani di Bordo » . . . » 517
Dichiarazione di morte presunta di persone scomparse in seguito a deportazione, avvenuta tra l'8 settembre 1943 e il 25 aprile 1945 » 517
La legge vincolistica in relazione agli edifici annessi a chiese o ad oratori pubblici. (G. Lenti) . . . . . » 519

Francia

Jurisprudence administrative de l'année 1950. . . . . » 527

RECENSIONES

Fazzari Giuseppe, S. I., Valutazione etica e consenso matrimoniale. (***) . . . . . » 529
P. I. Landazuri, O. F. M., De bonorum tempolarium religiosorum alienatione. (***) . . . . . » 530
Alphonsus M. Stiekler, S. D. B., Historia iuris canonici latini, I. Historia Fontium, Augustae Taurinorum. (A. Pugliese) . . » 531
P. Ludovicus S. Fanfani, O. P., Manuale Theorico-Practicum Theologiae Moralis ad mentem S. Thomae, Tomus II. (V. Fagiolo) » 536

DOCUMENTA

8 Decembris 1950. Augustus Pontifex Delegatos alloquitur Conventui generali ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque saecuiaribus, Romae habito » 541

CHRONICA

Acta Pii P.P. XII. - Acta SS. Congregationum . . . . . » 550
Index Bibliographicus . . . . . » 557

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

ACTA PII PP. XII

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE SACRIS MISSIONIBUS PROVEHENDIS.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

PARS I. - *Operis missionalis conditio durantibus postremis hisce viginti quinque annis.* *

INTRODUCTIO.

Evangelii praecones, qui in immensis paene laboris campis desudant « ut sermo Dei currat et clarificetur » [1], peculiari modo menti animoque obversantur Nostro, dum quintus ac vicesimus volvitur annus, ex quo Decessor Noster imm. rec. Pius XI, Encyclicis editis Litteris *Rerum Ecclesiae* [2] datisque per eas sapaientissimis normis, Catholicas Missiones magis magisque provehendas curavit. Ac Nobiscum considerantes quantos per hoc temporis intervallum sanctissima haec causa progressus habuit, haud mediocri perfundimur gaudio. Siquidem — ut die XXIV mensis Iunii, anno MDCCCC XXXXIV, occasione data asseveravimus, cum eos coram admissos affati sumus, qui Pontificia Opera Missionalia moderantur — « actuosa illa navitas, qua christianae religionis propagatores praestant tum in regionibus Evangelii luce iam collustratis, tum apud gentes, quibus eadem nondum affulsit, talem vim, impulsionem amplitudinemque assecuta est, qualis numquam fortasse in Catholicarum Missionum annalibus recensetur » [3].

In praesens tamen, dum turbida ac minacia tempora currunt, ac populi non pauci rebus inter se repugnantibus invicem seiunguntur, perquam opportunum videtur Nobis eiusmodi causam etiam

---

* Tales notae, italicis scriptae litteris, claritatis causa a nobis sunt additae.

[1] *II Thess.*, III, 1.

[2] *Acta apostolicae Sedis*, 1926, p. 65 sq.

[3] *A. A. S.*, 1944, p. 209.

atque etiam commendare, quandoquidem Evangelii nuntii humanam christianamque bonitatem omnibus suadent, et ad fraternam illam eos adhortantur communemque necessitudinem, quae gentium contentiones Nationumque fines exsuperat.

Quam ad rem, cum moderatores huius generis Operum eadem occasione allocuti sumus, haec praeter cetera verba fecimus: «... Muneris vestri indoles, quae nullis Nationum obstringitur limitibus, itemque communis vester fraternusque labor praeclaram illam Catholicae Ecclesiae notam quasi ante omnium oculos et in sua luce positam designant, quae quidem discordiam renuit, discrepantiam refugit, atque a discidiis illis aliena prorsus abest, quae populos perturbant atque interdum misere subvertunt; christianam dicimus fidem christianamque erga omnes caritatem, quae ultra quaelibet dimicantium castra, ultra quoslibet Civitatlum terminos, ultra omnes terrarum tractus atque oceani immensitates transvehuntur, vosque singulos universos ad eam excitant atque exstimulant assequendam metam, quam cum assecuti eritis, Dei Regnum ad omnes pertinebit terrarum orbis partes » [4].

Quamobrem occasionem libenter nacti quinti revoluti lustri, ex quo Litterae Encyclicae *Rerum Ecclesiae* editae fuere, et uberem iam peractum laborem magna cum animi oblectatione dilaudamus, et ad ulterius usque alacritate summa procedendum adhortamur omnes: omnes dicimus Venerabiles in Episcopatu Fratres, Evangelii propagatores, sacrorum administros ac singulos christifideles, sive qui in territoriis christianae adhuc veritate excolendis operantur, sive qui ubicumque terrarum vel supplicibus ad Deum admotis precibus, vel Missionum candidatos instituendo iuvandoque, vel denique corrogata stipe gravissimae eiusmodi causae opitulantur.

De incrementis feliciter comparatis.

Ac primum placet heic ea breviter attingere, quae ad incrementa pertinent hac in re feliciter habita. Anno MDCCCCXXVI sacrae Missiones CD nuberabantur, in praesens autem DC *circ*iter censentur; catholici vero inibi commorantes ad centies ac quinquagies centena milia nondum excreverant, dum hodie fere ducenties et octogiens centena milia iam exaequant. Eodem anno sacerdotes vel e clero adventicio vel indigena fere DCCC supra XIV milia habebantur,

[4] *A. A. S.*, 1944, p. 207.

dum hodie plusquam DCCC supra XXVI milia recensentur. Tunc temporis Missionibus fere omnibus sacri Pastores praeerant ex alienigenarum gentibus orti; horum autem post XXV annorum spatium LXXXVIII Missiones clero indigenae creditae sunt; ac non paucis in locis, cum Ecclesiastica Hierarchia iam rite constituta sit atque Episcopi sint ex locorum incolis delecti, vel luculentius patet Iesu Christi religionem reapse catholicam esse, atque ad nullam terrarum orbis partem quod attinet, extraneam esse habendam.

Itaque, ut exemplis utamur, in Sinis et in nonnullis Africae regionibus Ecclesiastica Hierarchia ad sacrorum canonum normas condita est; tria, eaque gravissimi momenti, « Plenaria » Concilia celebrata fuere, primum anno MDCCCCXXXIV in Indosinis, anno MDCCCCXXXVII in Australia alterum, tertium vero elapso anno in India. Seminaria primis disciplinis tradendis, quae minora dicuntur, valde numero ac vi adaucta sunt; sacrorum autem alumni, qui ad altiorem doctrinam instituuntur, cum quinque ac viginti ante annos MDCCLXX tantummodo essent, sunt in praesens MMMMCCC; ac multorum sacerdotii candidatorum domicilia aedificata fuere, quae ad universam pertinent regionem. Romae, apud Urbanianum Athenaeum « Missionale Institutum » conditum est; itemque Romae aliisque in locis « Missionologiae », quae dicitur, « Facultates » ac magisteria non pauca constituta fuerunt. Hac pariter in alma Urbe Petrianum fuit Collegium instructum, in quo indigenae sacerdotes penitius aptiusque ad sacras disciplinas, ad virtutem, ad apostolatum conformantur. Fuere praeterea studiorum Universitates conditae duae; collegia ac scholae altioribus vel mediis excolendis doctrinis, quae prius MDC circiter numerabantur, hodie ad plusquam quinque milia censentur; ludi litterarum primordiis tradendis duplicem propemodum attigere numerum; atque id ipsum de sedibus medicamentis dilargiendis ac de valetudinariis asseverari potest, in quibus omne genus infirmi, aegroti ac vel leprosi curantur. Huc quae sequuntur accedunt: « Missionalis Cleri Sodalitas » per hoc annorum spatium magnum cepit incrementum; institutum est ortum, cui nomen « Fides » et cuius est de religiosis rebus exquirere, emparare ac pervulgare nuntia; scripta typis edita fere ubique et numero augescunt et longe lateque proferuntur; non pauci sacris Missionibus provehendis Conventus celebrati fuere, in quibus quidem ille peculiari modo memoratu dignus, qui Romae fuit Anno vertente Sacro habitus, quique luculenter ostendit quae quantaque fuerint hac de causa suscepta; haud ita multo ante Ku-

masi, in Africae Ora, quae Aurea dicitur, Eucharisticus Congressus adstantium multitudine conspicuus pietatisque fervore mirabilis celebratus est; ac denique Pontificio Operi a S. Infantia precibus ac collata stipe promovendo peculiaris dies quotannis a Nobis assignatus est; [5] quae omnia praeclare patefaciunt Apostolatus incepta mutatis rerum condicionibus succrescentibusque nostrorum temporum necessitatibus, rationibus novis aptioribusque initis, opportune respondere.

Neque silentio praetereundum est, hoc annorum spatio Apostolicas Delegationes quinque variis in regionibus, quae a Sacri Consilii catholicae propagandae fidei iurisdictione pendent, legitime conditas fuisse; praeterquam quod sacrarum Missionum territoria habentur non pauca quae Apostolicis Nuntiis vel Internuntiis subiecta sunt. Quam ad rem asseverare libet horum Praesulum praesentiam navitatemque uberrimos iam edidisse fructus; idque potissimum effecisse, ut apostolici Missionalium labores aptiore ordine atque adiutrice invicem opera ad eamdem conferrent assequendam metam. Ad quam quidem contingendam haud parum etiam iidem contulere legati Nostri, cum singulars saepe invisendo regiones, tum auctoritate Nostra Episcoporum coetus identidem participando, in quibus quae locorum Ordinarii pro sua quisque prudentia experiundo novissent, ea ad communem utilitatem conducerentur, ac collatis consiliis expeditiores ac faciliores susciperentur apostolatus rationes. Haec praeterea fidei operumque fraterna conspiratio illud etiam attulit ut publici magistratus atque ii, qui catholico non censerentur nomine, christianam religionem maiore in aestimatione haberent.

Quae heic presse breviterque de rerum missionalium incrementis, XXV horum annorum spatio habitis, scribendo attigimus, et quae per Anni Sacri decursum Nobis cernere licuit — cum multitudines non parvae e longinquis regionibus, ab Evangelii praeconibus excultis, Romam confluxere, superna Dei munera Nostramque benedictionem impetraturae — haec, dicimus, Nos vehementer commovent ad Apostoli gentium flagrantissima iteranda vota, qui ad Romanos scribit: « ...ut aliquid impertiar vobis gratiae spiritualis ad confirmandos vos; id est, simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam ». [6]

---

[5] Epist. *Praeses Consilii*, *A. A. S.*, 1951, pp. 88-89.
[6] *Rom.*, I, 11-12.

Ac videtur Nobis Divinus ipse Magister illa omnibus repetere verba, consolationis hortationisque plena: « Levate oculos vestros, et videte regiones quia albae sunt iam ad messem ». [7] Attamen, cum christianae veritatis propagatores praesentibus necessitatibus impares sint, hisce verbis invitamentum illud eiusdem Divini Redemptoris quodammodo respondet: « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam ». [8]

Novimus utique, non sine magno animi solacio, eorum numerum, qui in praesens superno quodam instinctu permoti ad grande illud vocantur munus Evangelium usquequaque terrarum propagandi ,erecta cum Ecclesiae spe feliciter augeri; at multum etiam atque etiam faciendum superest, multum est adhuc supplicibus precibus a Deo impetrandum. Innumeras illas gentes Nobiscum in animo considerantes, quae ad unum ovile et ad unum salutis portum per hos sacrorum administros vocandae sunt, hanc ad caelestem Pastorum Principem Nos admovemus Ecclesiastici vocem: « Sicut... in conspectu eorum sanctificantus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, ut cognoscant te, sicut et nos cognovimus quoniam non est Deus praeter te, Domine ». [9]

Persecutiones contra quasdam Ecclesias obortae.

Haec autem salutifera incrementa, quae sacrarum Missionum causa suscepit, non modo divini verbi satoribus tot tantisque laboribus steterunt, sed multo etiam sanguine per factum martyrium generose profuso. Hoc enim annorum decursu haud defuerunt in nonnullis Nationibus nascentis inibi Ecclesiae insectationes acerrimae; atque nostris etiam temporibus non desunt in extremis orientalis terrarum orbis partibus regiones, quae hac de causa sacro purpurantur cruore. Ad Nos siquidem perlatum est christifideles non paucos, idcirco quod fuerunt ac sunt religionis suae tenacissimi, itemque virgines Deo devotas, missionales, sacerdotes indigenas, atque etiam nonnullos Episcopos e suo fuisse domicilio e suarumque rerum possessione deturbatos, ac vel extorres in inedia languescere, vel in vinculis, in carceribus, in publicae custodiae campis detineri, vel interdum etiam fuisse immaniter trucidatos.

---

[7] Ioan., IV, 35.
[8] Matth., IX, 37-38.
[9] *Eccli.*, XXXVI, 4-5.

Summa animus Noster aegritudine oppletur, dum horum carissimorum filiorum angustias, dolores, mortem recogitamus; eosdemque non modo paterna voluntate prosequimur, sed paterna etiam veneratione recolimus, quandoquidem probe noscimus altissimum eorum munus ad martyrii quoque dignitatem interdum evehi. Iesus Christus, martyrum primus, edixit: « Si me persecuti sunt, et vos persequentur »; [10] « in mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum » [11]; « nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit multum fructum affert » [12]

Qui christianae veritatis christianaeque virtutis nuntii propagatoresque longe a patriis laribus, sanctissimo hoc munere fungentes mortem occumbunt, semina sunt, ex quibus aliquando Dei nutu fructus germinabunt uberrimi. Quamobrem Paulus apostolus asseverabat: « Gloriamur in tribulationibus »; [13] ac S. Cyprianus Episcopus et martyr christianos suorum temporum consolabatur atque adhortabatur hisce verbis: « Gaudere nos et exsultare voluit in persecutionibus Dominus, quia, quando persecutiones fiunt, tunc dantur coronae fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent caeli. Neque enim sic nomen militiae dedimus, ut pacem tantummodo cogitare, et detrectare et recusare militiam debeamus, quando in ipsa militia primus ambulaverit Dominus, humilitatis et tolerantiae et passionis magister, ut quod fieri docuit, prior faceret, et quod pati hortatur, prior pro nobis ipse pateretur ». [14]

Ii etiam Evangelii satores, qui hodie in longinquis plagis desudant, causam provehunt illi haud dissimilem, quae in primaeva Ecclesiae aetate agebatur. Etenim fere in iisdem rerum condicionibus ii Romae versabantur, qui una cum Apostolorum Principibus Petro et Paulo Romani Imperii arci evangelicam inferebant veritatem. Quisquis considerat nascentem eo tempore Ecclesiam nullis instructam fuisse humanis opibus, sed angustiis, aerumnis, insectationibus vexatam, vehementi admiratione non percelli non potest, inermem cernens christianorum manipulum potentiam devicisse, qua forsitan numquam exstitisset maior. Quod autem tunc contigit, iterum procul

---

[10] Ioan., XV, 20.
[11] Ioann., XVI, 33.
[12] Ioan., XII, 24-25.
[13] *Rom.*, V, 3.
[14] S. Cypriani *Epist. LVI; ML*, IV, 351 A.

dubio iterumque eveniet. Quemadmodum David adulescens, potiusquam funda divino auxilio confisus, gigantem Goliath ferrea armatura ornatum prostravit, ita divina illa societas, quam Christus condidit, nulla umquam poterit terrena devinci potestate, sed omnes est insectationes serena fronte superatura. Quamquam probe noscimus hoc ex divinis oriri pollicitationibus defuturis numquam, facere tamen non possumus quin gratum iis omnibus patefaciamus animum Nostrum, qui impavidam et invictam fidem suam Iesu Christo atque Ecclesiae, columnae et fundamento veritatis, [15] testati sunt, eos una simul adhortantes ut eadem semper constantia coeptum iter pergant.

Huius invictae fidei strenuaeque fortitudinis saepissime ad Nos nuntii afferuntur, qui magno Nos solacio afficiunt. Quodsi non defuerunt qui Catholicae Ecclesiae filios ab alma hac Urbe, ab hac nempe Apostolica Sede, seiungere conarentur, quasi id debitus erga Nationem cuiusque suam postularet amor, debita requireret fidelitas; at iure meritoque iidem respondere potuerunt ac possunt nullis se civibus cedere in patria caritate; summa tamen sinceritate percupere iusta libertate perfrui.

Quid supersit faciendum.

Illud autem iam supra attigimus: id nempe, quod adhuc hac in causa faciendum superest, ingentem prorsus exposcere operam innumerosque opifices. Reminiscamur fratres nostros, qui « sederunt in tenebris et in obscuro », [16] immensam esse hominum multitudinem, qui ad millies decies centena milia aestimari possunt. Videtur igitur inenarrabilis ille amantissimi Iesu Christi Cordis adhuc resonare gemitus: « et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor ». [17]

Ac pastores non desunt, ut profecto nostis, Venerabiles Fratres, qui oves ex hoc uno ovili, ex hoc uno salutis portu abducere enitantur; ac nostis pariter huius generis periculum alicubi impendere cotidie maius. Quamobrem Nos et immensam eiusmodi hominum multitudinem Nobiscum coram Deo considerantes, qui evangelicae veritatis adhuc expertes sunt, itemque grave illud discrimen, ut

---

[15] Cf. *I Tim.*, III, 15.
[16] *Ps.*, CVI, 10.
[17] Ioan., X, 16.

oportet, reputantes in quod tam multi coniciuntur vel ob invalescentem « materialismum atheum » qui dicitur, vel ob quamdam doctrinam nomine christianam, quae reapse tamen « communismi » commenta erroresque sapit, vehementissima animi sollicitudine anxitudineque compellimur ad apostolatus opera usquequaque omnique ope provehenda; ac veluti Nobismet ipsis datum sacri vatis hortamentum illud autumamus: « Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam ». [18]

Peculiarique modo apostolicos sacrarum Missionum opifices, qui in internis Latinae Americae regionibus operantur, supplicibus Deo commendamus precibus, cum Nobis exploratum sit quibus iidem periculis, quibus insidiis, ob palam tecteve grassantes acatholicorum errores, obnoxii sint.

PARS II - *Normae quaedam de ipso opere missionali.*

DE MISSIONARIIS.

Eo autem consilio ducti, ut Evangelii praeconum opera efficacior usque evadat, utque ne una quidem eorum sudoris eorumque sanguinis stilla incassum cadat, placet heic principia ac normas breviter enucleare, quibus Missionalium actio ac navitas regatur oportet.

Ac principio animadvertendum est illum, qui superno quodam afflatu ad id vocatur, ut evangelica veritate christianaque virtute dissitas ethnicorum gentes excolat, ad munus omnino grande, omnino excelsum destinatum esse. Is enim vitam suam Deo consecrat, ut eius Regnum ad ultimos usque terrarum orbis terminos propagetur. Is non quaerit quae sua sunt, sed quae Iesu Christi. [19] Is denique pulcherrimas illas Apostoli gentium sententias sibi peculiari modo datas tribuit: « Pro Christo... legatione fungimur »; [20] « In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus »; [21] « Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem » [22]. Debet igitur regionem illam, ad quam Evangelii lucem allaturus venit, quasi alteram patriam considerare debitaque eam adamare caritate; atque adeo non terrena emolumenta quaerat neque ea, quae ad Natio-

---

[18] Is., LVIII, 1.
[19] Cf. *Phil.*, II, 21.
[20] *II Cor.*, V, 20.
[21] *II Cor.*, X, 3.
[22] *I Cor.*, IX, 22.

nem suam vel ad Religiosum Institutum suum spectent, sed ea potius, quae ad salutem partineant animorum. Utique gens sua suaque Sodalitas impenso amore prosequendae sunt, sed flagantiore etiam studio diligenda Ecclesia est. Ac meminerit nihil esse Sodalitati suae profuturum, quod Ecclesiae bono obstet.

Opus praeterea est ut ad huius generis apostolatum vocantur, dum adhuc apud suos sunt, non modo ad omnes virtutes ad omnesque ecclesiasticas disciplinas instituantur ac conformentur, sed peculiares etiam illas doctrinas et artes addiscant, quae aliquando sibi, cum apud exteras gentes Evangelii nuntios agent, summae erunt utilitatis. Itaque linguarum gnari scientesque sint oportet, earum praesertim, quae olim sibi necessariae erunt; ac rebus etiam rationibusque satis erudiantur, quae ad medicinam, ad agriculturam, ad ethnographiam, ad historiam, ad geographiam et ad cetera eiusmodi attineant.

De fine missionum.

Eo autem, ut omnes norunt, hae sacrae expeditiones primo loco spectant, ut christianae veritatis lumen novis gentibus luculentius affulgeat, utque novi habeantur christiani. Ad illud tamen, extremam veluti metam, contendant necesse est — quod quidem semper ante mentis oculos esse debet — ut nempe Ecclesia apud alios populos firmiter constabiliatur, eidemque propria, ex indigenis delecta, tribuatur Hierarchia.

In Epistula, quam superiore anno, die IX mensis Augusti, ad dilectum Filium Nostrum dedimus Petrum S. R. E. Presb. Cardinalem Fumasoni Biondi, Praefectum Sacri Consilii christiano nomini propagando, haec inter alia scribebamus: « Ecclesia equidem nullum habet propositum in populos dominandi, aut imperio in res modo temporales potiundi, uno cum flagret studio omnibus gentibus supernum fidei lumen afferendi, humani civilisque cultus incrementum fovendi fraternamque populorum concordiam ». [23]

In Epistula vero Apostolica *Maximum illud*, [24] a Decessore Nostro imm. mem. Benedicto XV anno MDCCCCXIX data, itemque in Encyclicis Litteris *Rerum Ecclesiae*, [25] a proximo Decessore Nostro fel. rec. Pio XI editis, sacras Missiones eo niti oportere edi-

---

[23] Epist. *Perlibenti equidem*; *A. A. S.*, 1950, p. 727.
[24] *A. A. S.*, 1919, p. 440 sq
[25] *A. A. S.*, 1926, p. 65 sq.

cebatur, quasi ad supremum efficiendum propositum, ut in novis nempe terris constitueretur Ecclesia. Ac Nosmet ipsi, cum, tu supra diximus, anno MDCCCCXXXXIV, Missionalium Operum moderatores coram admisimus, haec, quae sequuntur, verba fecimus: « Consilium, quod Evangeli praecones grandi generosoque animo capiunt, eo contendit ut Ecclesia ad novas regiones ita propagetur, ut inibi altiores usque radices agat, ac possit quam primum ob suscepta incrementa, nullo iam Missionalium Operum adiumento, vivere ac florescere. Haec enim Missionalia Opera non sibi inserviunt, sed ad excelsum illum, quem supra diximus, finem assequendum studiose actuoseque annitantur necesse est; quem cum attigerint, tum ad alia libenter se conferent incepta ». [26] « Quapropter divini verbi satores propagatoresque non in excultis iam apostolatus campis, quasi in suis domiciliis resident, cum ad eos potius pertineat universum terrarum orbem evangelica veritate collustrare ac christiana consecrare sanctitudine. Initum nempe a missionalibus propositum hoc est: Divini Redemptoris Regnum, qui e triumphata morte surrexit, et cui omnis potestas in caelo et in terra data est, [27] ex aliis ad alias plagas citatiore cotidie gradu proferre, usque ad ultimum ignotumque tectum, usque ad ultimum ignotumque hominem ». [28]

De clero indigena.

Patet tamen Ecclesiam non posse novis in regionibus apte recteque constabiliri, nisi opportuna ac consentanea ibi habeatur rerum operumque ordinatio, ac praesertim nisi necessitatibus par clerus indigena rite sit institutus ac conformatus. Placet hac de causa graves sapientesque sententias Litterarum Encyclicarum *Rerum Ecclesiae* quasi mutuando iterare: « ... Si curandum, ut alumnorum indigenarum frequentia sit unicuique vestrum quam maxima, eos praeterea rite effingere atque excolere studete ad sanctitatem sacerdotali vitae congruentem ad eumque apostolatus spiritum cum studio fraternae salutis coniunctum, ut parati sint vel vitae iacturam pro tribulibus civibusque suis facere ». [29]

---

[26] *A. A. S.*, 1944, p. 210.
[27] Cf. Matth., XXVIII, 18.
[28] *A. A. S.*, 1944, p. 208.
[29] *A. A. S.* 1926, p. 76.

« Fac, ex bello aliisve politicis eventis in alicuius Missionis territorio alterum regimen alteri suffici, et aut posci aut decerni missionalium exterorum e certa quadam Natione discessum: fac item — quod sane difficilius eveniet — indigenas, qui ad altiorem humanitatis gradum pervenerint et civilem quamdam maturitatem attigerint, velle, ut sui iuris fiant, externae Civitatis sibi imperantis et procuratores et copias et missionales ab suo territorio exigere, idque aliter, quam vi adhibita, impetrare non posse. Quae tum, rogamus, impenderet per eas regiones Ecclesiae pernicies, nisi, quasi quodam rete sacerdotum indigenarum per totum territorium disposito, necessitatibus plebis Christi adiunctae esset plene consultum? » [30]

Dum haec, quae proximus Decessor Noster quasi praesagienti animo scribebat, in extremis Orientis regionibus non paucis effecta dari cernimus, vehementi Nos moerore afficimur. Inibi enim quae florentissimae habebantur Missiones iam albae ad messem, [31] in praesens, proh dolor, summis premuntur angustiis. Nobis utinam sperare liceat fore ut Coreae ac Sinarum gentes, quae a sua ipsa natura humanitate nobilitateque pollent, ac civilis cultus splendore iam antiquitus enituere, non modo a turbulentis contentionibus bellicisque conflictationibus quam primum liberentur, sed ab infensa etiam doctrina illa, quae, cum terrena solummodo quaerat, caelestia renuit; atque adeo christianam exterorum missionalium indigenarumque sacerdotum caritatem virtutemque recte aestiment, qui quidem suis laboribus ac suae etiam, si opus sit, vitae iactura ad nihil aliud contendunt, nisi ad verum sincerumque popouli bonum.

Immortales Deo grates agimus quod iam in utraque Natione frequens in spem Ecclesiae succrevit e popularibus delectus clerus, et quod iam ibi Dioeceses non paucae illius gentis Episcopis creditae fuere. Ad quod quidem si tandem devenire licuit, exterorum missionalium laudi est tribuendum.

Hac tamen de re aliquid notandum opportunum ducimus, quod tum consideranter ob oculos tenendum esse putamus, cum sacrae Missiones, quae prius adventicio clero commissae erant, eiusdem Nationis Episcopis ac sacerdotibus excolendae regundaeque demandantur. Religiosum illud Institutum, cuius sodales dominicum

---

[30] Ibidem, p. 75.
[31] Cf. Ioan., IV, 35.

agrum suo profuso sudore proscindendum curarunt, cum ex mandato Sacri Consilii catholicae propagandae Fidei vineam ab se excultam ac iam uberibus refertam fructibus aliis agricolis concredit, non eam necesse est omnino derelinquat; sed rem utilem ac consentaneam egerit, si novo Episcopo, ex eo populo delecto, adiutricem operam suam praestare perrexerit. Sicut enim in ceteris omnibus catholici orbis Dioecesibus plerumque religiosi sodales Ordinario locorum Antistiti adiumento sunt, ita pariter iidem in Missionum regionibus, etsi ex alia orti sunt gente, veluti auxiliares copiae sanctum certare certamen non desinent; atque ita feliciter eveniet quod Divinus Magister ad puteum Sichar edixit: « Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam: ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit ». [32]

De Actione Catholica et ceteris Consociationibus.

Cupimus praeterea non modo sacros Missionum administros per Encyclicas has Litteras alloqui et adhortari, sed eos etiam e laicorum ordine, qui « corde magno et animo volenti » [33] in Actionis Catholicae agminibus militantes suam misisonalibus adiutricem navant operam.

Affirmari equidem potest adiutricem eiusmodi laicorum operam, quam hodie Actionem Catholicam vocamus, inde ab Ecclesiae originibus non defuisse; quin immo ex ea Apostolos ceterosque Evangelii propagatores haud mediocre suscepisse auxilium, christianam vero religionem haud levia habuisse incrementa. Itaque a gentium Apostolo, ad hanc rem quod attinet, Apollo, Lidia, Aquila, Priscilla, Philemon commemorantur; ab eodemque ad Philippenses scribitur: « Etiam rogo et te, germane compar, adiuva illas quae mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae ». [34]

Parique modo omnibus exploratum est christianam doctrinam non solum ab Episcopis ac sacerdotibus, sed a magistratibus quoque, a militibus, a privatisque civibus per consulares vias propagatam fuisse. Christifideles ad milia bene multa, a catholica suscetpa fide recentes, quorum hodie nomina ignorantur, cum studio novae provehendae religionis, quam amplexi erant, vehementissime

---

[32] Ioan., IV, 36.
[33] *II Mach.*, I, 3.
[34] *Phil.*, IV, 3.

flagrarent, evangelicae veritati iter sternere enisi sunt; quamobrem post centum circiter annos christianum nomen christianaque virtus iam ad principes omnes Romani Imperii urbes pervenerant.

S. Iustinus, Minucius Felix, Aristides, consul Acilius Glaber, patricius Flavius Clemens, S. Tarcisius ac paene innumeri sancti sanctaeque martyres, cum succrescentem Ecclesiam suis laboribus suoque profuso cruore confirmaverint ac fecundaverint, quodammodo dici possunt Actionis Catholicae antesignani ac praecursores. Placet heic pulcherrimam illam auctoris epistulae ad Diognetum sententiam referre, quae hodie etiam videtur admonitionis plena: « Christiani... patrias habitant proprias, sed tamquam inquilini; ... omnis peregrina regio eorum est patria, et omnis patria peregrina ». [35]

Irruentibus autem per Mediae Aetatis decursum barbaris gentibus, principes viros principesque feminas cerminus ac vel humiles artifices strenuasque e christiana plebe mulieres totis viribus eniti ut populares suos ad Iesu Christi religionem rite sancteque converterent, ad eamque eorum conformarent mores, utque, ingruente periculo, religio ac civitas in tuto ponerentur. Una cum immortali Decessore Nostro Leone Magno, qui Attilae Italiam invadenti fortiter obstitit, romani Consulares duo, ut memoriae traditur, aderant. Dum Lutetiam Parisiorum terrificae Hunnorum turmae obsident, sacra virgo Genovefa, cui haud intermissae supplicationes asperaeque paenitentiae opera in deliciis erant, mirabili caritate suorum civium animis corporibusque pro viribus consulit. Theodolinda, Langobardorum Regina, gentem suam ad christianam amplectendam religionem studiose advocat. In Hispania Reccaredus Rex populum sibi creditum ex Arianorum haeresi ad veram fidem reducere conatur. In Gallia autem non modo sacrorum Antistites habentur, qui — ut Remigius Episcopus Rhemensis, Caesarius Episcopus Arelatensis, Gregorius Episcopus Turonensis, Eligius Episcopus Noviomensis atque alii plures — virtute et apostolatus ardore enituere, sed Reginas etiam cernere licet, quae, per illius aetatis decursum, indoctos ac rudes christianam veritatem docent, infirmos vero, famelicos omneque genus miseros alunt, relevant atque reficiunt: itaque, ut exemplis utamur, Clotilda Clodovaei animum ita ad catholicam religionem allicit ac permovet, ut eum

---

[35] *Epist. ad Diognetum*, V, 5; ed. Funk, I, 399.

tandem ad verae vitae lavacrum libentissime adducat; Radegunda autem ac Bathilda aegrotorum curam summa caritate suscipiunt ac lepra etiam affectis medicantur. In Anglia Bertha Regina S. Augustinum, illius gentis apostolum, venientem excipit, ac coniugi suo Ethelberto dedita opera suadet ut evangelica praecepta secundis accipiat auribus. Ac vixdum Angli -Saxones, sive optimates vel ex infima plebe, sive homines vel mulieres, sive senes vel iuvenes christianam amplectuntur fidem, quasi divini amoris instinctu permoti arctissimis pietatis, fidelitatis, observantiaeque vinculis cum hac Apostolica Sede coniunguntur.

Parique modo in Germania mirandum sane spectaculum habetur, cum S. Bonifacius eiusque socii regiones illas apostolicis itineribus peragrant generosoque sudore fecundant. Fortis enim illius generosaeque gentis filii filiaeque incitato quodam animorum motu monachis, sacerdotibus, Episcopis adiutricem suam navitatem actuose praestitere, ut amplissimis illis regionibus evangelicae veritatis lumen latius cotidie affulgeret, utque christiana praecepta christianaque virtus, non sine uberibus salutis fructibus, magis magisque in dies proveherentur.

Nullo igitur non tempore Catholica Ecclesia non tantum indefesso cleri labore, sed socia etiam laicorum hominum advocata opera, et nova religionis incrementa peperit et ad auctiorem in re quoque sociali prosperitatem populos adduxit. Norunt omnes quid hac de causa egerit in Germania S. Elisabetha Thuringiae Landgravia; quid in Castella S. Ferdinandus Rex; quid denique in Gallia S. Ludovicus IX: ii nempe, ob suam sanctimoniam suamque studiosam operam, salutiferam contulere vim in varios societatis ordines, sive benefica instituendo incepta, sive veram religionem usquequaque propagando, sive Ecclesiam fortiter tuendo, sive potissimum omnibus in exemplum praeeundo. Neque ea ignota sunt, quae per Medii Aevi cursum optime merita laicorum effecere sodalicia; in quae quidem artifices atque opifices utriusque sexus cooptabantur, qui, etsi in saeculo suam traducebant vitam, nihilo secius excelsam quamdam evangelicae perfectionis speciem prae oculis habebant, ad eamque et ipsi contendebant alacriter, et una cum clero ut ceteri omnes contenderent actuose enitebantur.

Iamvero, quae in primaevis Ecclesiae temporibus habebantur rerum condiciones, eaedem in plerisque regionibus, hodie a missionalibus excultis, adhuc habentur; vel saltem populos illos necessitates premunt, quibus subsequente aetate respondere atque occur-

rere necesse erat. Quamobrem oportet omnino homines e laicorum ordine generosam, diligentem laboriosamque operositatem suam inibi cum hierarchico cleri apostolatu consocient, in Actionis Catholicae confertissima agmina confluentes. Catechistarum opera utique necessaria est, iisdemque cupimus debitas tribuere laudes; attamen non minus est necessaria eorum sedula sollertia, qui nullo accepto honorario, sed divina solummodo permoti caritate sacrorum administris in eorum obeundo munere praesto sunt atque auxiliantur.

Cupimus igitur ut ubique pro facultate catholicorum virorum catholicarumque mulierum consociationes constituantur, itemque iuvenum, qui litterarum disciplinarumque studiis vacant, operariorum atque artificum, eorum qui gymnicis palaestricisque ludis dant operam, atque cetera sodalicia piaeque sodalitates, quae veluti auxiliariae missionalium copiae dici queunt. In iisdem autem constituendis informandisque sodalium potius probitas, virtus, alacritas aestimentur ac censeantur, quam numerus.

Animadvertendum praeterea est nihil magis valere ad patrum matrumque familias fiduciam missionalibus conciliandam, quam diligentissimam eorum filiorum curam suscipere. Qui quidem, si mentem ad christianam veritatem, si mores ad virtutem assequendam converterint, non solum ad familiae cuiusque suae, sed ad totius quoque communitatis vim, decus et ornamentum conferent; ac non raro id efficient ut, si christianorum communitatis vita aliquantum debilitata remiserit, ad pristinum eam vigorem feliciter revocent.

Quamvis autem, ut omnibus perspectum est, Actio Catholica ad christiani praesertim apostolatus opera provehenda vim suam exserere debeat, nihil tamen prohibet quominus ii, qui in eius agmina adsciti sunt, consociationes etiam participare queant, quarum sit res sociales ac politicas ad Evangelii principia ac rationes conformare; quin immo ut non modo qua cives, sed qua catholici etiam id agant, ius concedit, quo fruuntur, officium, ad quod tenentur, postulat.

De scholis.

Quandoquidem vero iuvenes, ii praesertim, qui litteris, optimis disciplinis ingenuisque artibus excoluntur, futurae aetatis futurarumque rerum cursum dirigent, nemo est qui non videat quantopere

intersit ut de alumnorum ludis, scholis, collegiis summa habeatur cura. Sacrarum igitur Missionum moderatores paterno adhortamur animo, ut, nullis parcentes laboribus nullisque pro facultate sumptibus, haec incepta totis viribus provehant.

Litterarii siquidem ludi ac scholae id afferunt praesertim utilitatis, ut inter missionales et ethnicos cuiusvis ordinis opportunae instituantur necessitudines, utque imprimis iuventus, quae cerea flectitur, ad catholicam intellegendam, aestimandam assequendamque doctrinam facilius alliciatur. Hi exculti iuvenes, ut omnes norunt, rem publicam in posterum moderaturi sunt; ac plebis multitudines eos quasi duces ac magistros sunt secuturae. Apostolus gentium coram etiam doctissimorum virorum coetu celsissimam Evangelii sapientiam patefecit, cum in Atheniensi Areopago ignotum Deum adstantibus annuntiavit. Quodsi, hac etiam adhibita ratione, frequentes non erunt, qui ad Divini Redemptoris obtemperandum praeceptis se penitus converterint, plures tamen erunt, qui suavi quodam sensu se commoveri experientur, supernam huius religionis pulchritudinem considerantes eiusque sectatorum caritatem.

Sunt praeterea alumnorum ludi ac collegia ad omne genus errores refellendos utilissima, qui hodie potissimum acatholicorum ac communistarum opera cotidie latius serpunt, atque iuvenum praesertim animis palam tecteve instillantur.

De scriptis typis edendis.

Nec minus utile est opportuna scripta typis edere et in vulgus propagare. Putamus hac super re necessarium non esse Nos multum immorari; patet enim omnibus quantum diaria, ephemerides ac commentarii valeant sive ad veritatem virtutemque in sua luce ponendas ac mentibus animisque inculcandas, sive ad fallacias, fucatas veri specie, detegendas, sive ad ementita illa refutanda commenta, quae vel religionem offendant, vel quaestiones de re sociali acriter agitatas non sine magno animorum detrimento perperam proponant. Valde igitur eos dilaudamus Pastores, quibus cordi est eiusmodi scripta recte diligenterque exarata ac guttembergia arte prodita quam latissime pervulgare. Quodsi iam haud parum hac de causa factum est, multum adhuc superest faciendum.

De operibus caritatis.

Placet etiam heic opera illa atque incepta maximopere commendare, quibus cuiusvis generis morbis, infirmitatibus, angustiis pro viribus consulitur; valetudinaria dicimus, hospitales domus lepra infectis excipiendis curandisque, sedes medicamentis opportune dilargiendis, ac varia ea domicilia, in quibus senibus, puerperis, infantibus aliisque auxilio egentibus pro facultate prospicitur. Haec profecto, quae quasi pulchriores viridarii flores Nobis videntur, in quo evangelici verbi satores operantur, Divinum ipsum Redemptorem veluti ante oculos ponunt, qui « pertransiit benefaciendo et sanando omnes » [36].

Procul dubio haec insignia caritatis opera efficaciter summa ethnicorum animos praeparant atque alliciunt ad christianam profitendam fidem ad christianaque amplectenda praecepta; atque adeo Iesus Christus apostolis edixit: « In quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos... curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: appropinquavit in vos Regnum Dei » [37].

Necesse tamen est ut qui religiosi viri ac sacrae virgines ad haec aliquando frugifere praestanda se vocatos sentiant, dum adhuc in patria cuiusque sua commorantur, ea sibi comparent mentis animique adiumenta, quae hodiernae id genus artes postulent. Novimus haud deesse virgines, Deo devotas, quae publica huius exercendae disciplinae adeptae diplomata, cum horrificos morbos, ut lepram, peculiari studio vestigaverint, eisdemque consentanea remedia invenerint, meritis debeant ornari laudibus. Hisce Nos , quemadmodum missionalibus omnibus, qui suam in leprosorum domibus operam generoso animo praestant, paterna benedicimus voluntate, eorumque excelsam caritatem mirabundi dilaudamus.

De missionariis laicis.

Ad medicinam autem et ad chirurgiam quod attinet, opportunum profecto erit laicos etiam viros in auxilium adsciscere, qui tamen non modo publica huius exercendae artis documenta iam adepti fuerint, libentesque velint suam patriam relinquere ut missionalibus praetso sint, sed necessariis quoque rectae doctrinae virtutisque ornamentis polleant.

---

[36] *Act.*, X, 38.
[37] Luc., X. 8-9.

DE OPERIBUS SOCIALIBUS.

Ad aliud in praesens gradum facimus, quod non minoris momenti est minorisve gravitatis; cupimus nempe de re sociali aliquid attingere, ad iustitiae caritatisque normas ordinandum. Dum communistarum placita, quae usquequaque hodie proferuntur, simplices ac rudes popularium mentes facile decipiunt, illae videntur auribus Nostris Iesu Christi resonare voces: « Misereor super turbam ». [35] Necesse est prorsus recta ea principia, quae hac de causa Ecclesia docet, ad effectum studiose, diligenter, actuose deducantur. Necesse est prorsus populos omnes perniciosis illis erroribus servare immunes, vel si iam iisdem infecti sint, ab infensis huiuscemodi liberare doctrinis, quae praesentem fruendum mundum tantummodo, quasi unam mortali huic vitae metam hominibus assequendam proponunt; cumque universa, quae habentur, Civitatis potestati atque arbitrio potiunda ac moderanda committant, humanae personae dignitatem ita imminuunt, ut ad nihilum propemodum redigant. Necesse est prorsus privatim, publice edocere omnes ad immortalem nos patriam veluti exsules contendere; et ad sempiternum aevum ad sempiternamque esse destinatos beatitatem, quam veritate ducti virtuteque permoti aliquando assequi debeamus. Christus solummodo humanae iustitiae vindex est, atque humani doloris, qui in praesens vitari nequit, solator suavissimus; ipse unus ostendit nobis pacis, iustitiae aeternique gaudii portum, ad quem quidem omnes, divino redempti sanguine, post terreni huius incolatus iter perveniamus oportet.

Attamen omnibus officium est, prouti, fieri potest, praesentis etiam huius vitae angustias, miserias angoresque, quibus fratres afficiantur, mitigare, lenire ac relevare.

Multis quidem, quae in re sociali habeantur, iniustis condicionibus caritas aliquatenus mederi potest; id tamen non satis. Principio enim iustitiam vigescere, dominari ac reapse ad effectum deduci opus est.

Quam ad rem ea referre placet, latine reddita, quae anno MDCCCCXXXXII sub Natalicia Iesu Christi sollemnia coram Sacro Purpuratorum Patrum Collegio Praesulumque coetu diximus: « Ecclesia, quemadmodum varia illa socialismi genera damnavit, quae Caroli Marx doctrinam sectantur, ita eadem in praesens iterum reprobat, ut suum officium postulat, utque postulat aeterna homi-

[35] MARC. VIII, 2.

num salus, quae fallacibus hisce ratiocinandi modis indisiosisque impulsionibus grave in discrimen vocatur. Ecclesia tamen neque ignorare, neque non perpendere potest opifices, dum suam enitantur condicionem ad meliorem statum evehere, ad aliquid saepenumero offendere, quod non modo naturae consentaneum non est, sed Dei etiam ordinationi obstat statutoque ab eo terrenis opibus fini. Quamvis igitur viae ac rationes, de quibus supra diximus, utpote perniciosissimae reprobari debeant, quinam tamen christianus, quinam sacerdos implorationi illi aures claudere potest, quae ex imo prorumpit animo, et quae in communitate a iusto Deo condita iustitiam postulat ac fraternam omnium hominum necessitudinem? Id praetermittere, id silere, coram aeterno Numine culpa vacare non potest; idque Apostoli sententiae contradicit, qui dum mentibus inculcat oportere omnino falsa refellere, edocet tamen necesse esse errantibus benignitate summa occurrere, eorumque argumenta considerare, spem fovere, obsecundare votis... Quamobrem humanae personae dignitas generali hac norma, veluti naturali fundamento, innititur: omnibus nempe ius esse, ad vivendum necessarium, terrenis hisce bonis utendi; cui quidem iuri primarium illud officium respondet privatam quamdam possessionem singulis omnibus, prouti potest, attribuendi. Iuridicae normae, ab humanis legibus ortae, quae privati dominii ius moderantur, mutari possunt, atque rerum usum plus minusve circumscriptum concedere; at si sincera voluntas est hominum societatem pacandi tranquillandique, opus est prorsus id efficere, ut operarii, qui patres familias iam sunt, vel aliquando erunt, eiusmodi oeconomicae servituti ne sint obnoxii, quae cum humanae personae iuribus congruere nequeat.

Haud multum autem interest utrum haec servitus a nimio privatorum possessionum potentatu oriatur, an potius ab absoluta ipsius Civitatis in rebus omnibus potestate pendeat; quin immo, quando suprema Civitatis auctoritas in universam, privatam publicamque civium vitam dominatur, et in mentium etiam cogitationes, consilia, sententias, in ipsamque conscientiam invadere conatur, talis inde proficiscitur libertatis defectio, e qua maiora etiam detrimenta maioresque pernicies, ut experiundo constat, haberi possunt ». [39]

Ad vos etiam pertinet, Venerabiles Fratres, qui in catholicarum

---

[39] *A. A. S.*, 1943, pp. 16-17.

Missionum territoriis sollertem vestram navatis operam, diligenter curare ut haec principia ac normae effecta dentur. Peculiaribus ac variis locorum rerumque condicionibus prae oculis habitis, atque in Episcoporum conventibus, in synodis in aliisque coetibus collatis invicem consiliis, pro facultate contendite, ut provida illa de re oeconomica ac sociali sodalicia, consociationes atque itnstituta opportune excitentur, quae nostra haec tempora populique vestri indoles postulare videantur. Id procul dubio pastorale officium vestrum poscit, ne grex vobis creditus ob novos errores, iustitiae veritatisque specie indutos et ob pravas impulsiones e recto itinere transversus agatur. Evangelii propagatores, qui vobiscum una sollerter operantur, hac etiam in promovenda causa omnibus praeluceant ac praestent; ita enim pro certo habebunt illud non sibi fore dictum: « Filii huius saeculi prudentiores filiis lucis... sunt ». [40] Opportunum tamen erit ut, quotiescumque fieri potest, idoneos sibi adsciscant e laicorum ordine catholicos viros, qui probitate rerumque tractandarum prudentia conspicui, eiusmodi incepta suscipiant ac provehant.

De territoriis religiosis missionariis concreditis.

Superioribus aetatibus amplissimus missionalium apostolatus campus nec statutis circumscribebatur ecclesiasticarum dicionum terminis, nec Religiosis Ordinibus vel Sodalitatibus una cum succrescente clero indigena excolendus concredebatur. Quod quidem, ut omnes norunt, hodie plerumque evenit; atque evenit etiam interdum ut nonnullae regiones religiosis viris demandatae sint peculiaris provinciae eiusdem Instituti. Nos profecto huius rei utilitatem cernimus; quandoquidem hisce rationibus ac normis catholicarum Missionum ordinatio expeditior ac facilior redditur. Contingere tamen potest ut ex hoc agendi modo haud levia incommoda ac detrimenta oriantur, quibus mederi pro viribus opportunum est. Iam Decessores Nostri causam eiusmodi datis Litteris [41], quas supra memoravimus, pertractarunt, ac sapientissimas hac de re dederunt normas; quas Nobis placet in praesens iterare ac confirmare, vos paterne adhortantes ut easdem « pro cognito ac perspecto, quo flagratis, religionis animarumque salutis studio, piis *accipiatis* animis atque ad obtemperandum compositis. Territoria ea quidem,

---

[40] Luc., XVI, 8.

[41] Cf. *A. A. S.*, 1919, p. 444; et *A. A. S.*, 1926, pp. 81-82.

quorum curam navitati Apostolica Sedes vestrae demandavit ut ea Christo Domino adiungeretis, cum sint plerumque amplissima, fieri interdum potest, ut missionalium ex Institutis cuiusque vestris longe inferior sit numerus quam necessitas postulet. Ne igitur dubitetis, quemadmodum in dioecesi rite constituta solent Episcopo alii ex alia Sodalitate aut clericali aut laicali religiosi viri, aliae ex alia Congregatione Sorores, adesse atque auxiliari, ita in propagationem christianae fidei, ad institutionem iuventutis indigenae, ad ceteras huiusmodi utilitates promovendas, laborum socios advocare atque adsciscere religiosos sodales ac missionales, qui e vestro scdalicio non sint, sive ii sacerdotio potiantur, sive ad laicalia, quae vocant, Instituta pertineant. Sancte quidem glorientur Ordines ac Congregationes Religiosae cum de sibi data ad ethnicos populos missione, tum de partis ad hunc diem Christi Regno accessionibus; at meminerint se territoria Missionum non iure quodam proprio ac perpetuo accepisse, sed ad Apostolicae Sedis nutum habere, cui propterea et ius et officium incumbit rectae et plenae eorum cultioni prospiciendi. Nec igitur Romanus Pontifex apostolico muneri huic unice satisfaciat si territoria maioris minorisve magnitudinis alia inter alia Instituta distribuat: sed — quod pluris interest — nullo non tempore omnique sua cura providere debet, ut ea ipsa Instituta tot missionales ac ,potissimum, tales in regiones sibi creditas dimittant, qui his, qua late patent, christianae veritatis luce complendis abunde sufficiant atque efficacem dent operam » [42].

De accommodatione missionali.

Aliud praeterea attingendum superest, quod valde cupimus quam clarissime omnibus pateat. Illam Ecclesia, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat neque restinguat. Ecclesia siquidem cum populos ad altiorem humanitatem ad cultioremque vitam, christiana religione auspice, advocat, non illius morem gerit, qui luxuriantem silvam nulla habita ratione caedat, prosternat ac diruat, sed illius potius, qui bonum surculum rudibus arboribus inserat, ut suaviores dulcioresque fructus aliquando edant atque maturent.

[42] *A. A. S.*, 1926, pp. 81-82.

Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum [43]; quod quidem, si divina luce collustretur divinaque alatur gratia, ad veri nominis virtutem supernamque vitam evehi aliquando potest.

Quamobrem Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummavit atque perfecit. Ita pariter eorum ingenuas artes ac liberales disciplinas, quae iam ad tam excelsum fastigium alicubi pervenerunt, ipsa benigne excepit, diligenter excoluit, et ad talem pulchritudinis apicem provexit, ad qualem antea fortasse numquam pervenerant. Peculiares quoque populorum mores eorumque tralaticia instituta non omnino cohibuit, sed quodammodo sacravit; atque etiam eorum dies festos, immutata ratione ac forma, ad martyrum memorias et ad sacra mysteria celebranda traduxit. Quam ad rem optime quidem S. Basilius scribit: « Quemadmodum... infectores quidquid tingendum est, prius curis quibusdam praeparant, et ita demum colorem sive purpureum, sive quempiam alium inducunt: eodem modo et nos quoque, si indelebilis in nobis honesti gloria omni tempore permansura est, his externis ante initiati, deinde sacras et arcanas doctrinas ediscemus: et solem velut in aqua videre assueti, sic luci ipsi oculos admovebimus... Certe quemadmodum arboris propria vita est, tempestivo fructu scatere, et tamen folia etiam circum ramos exagitata aliquid eis ornamenti conciliant: ita et animae quoque primarius fructus est veritas ipsa, sed tamen haud ingratus est externae sapientiae amictus, tamquam si folia quaedam fructui et umbraculum et aspectum non inamoenum praebeant. Dicitur igitur et Moyses ille perquam eximius, cuius nomen apud omnes homines ob sapientiam maximum est, exercitato in Aegyptiorum disciplinis animo, ita ad eius, qui est, contemplationem devenisse. Similiter autem posterioribus quoque temporibus sapientem Danielem sapientiam Chaldaeorum in Babylone edoctum, ita demum doctrinas sacras attigisse tradunt » [44].

Ac Nosmet ipsi in primis, quas edidimus, Encyclicis Litteris *Summi Pontificatus* haec scribebamus: «... Divini verbi praecones innumeris pervestigationibus per temporum decursum summo la-

---

[43] Cf. Tertull., *Apologet.*, cap. XVII; *ML*, I, 377 A.
[44] S. Basil., *Ad adolescentes*, 2; *MG*, XXXI, 567 A.

bore summoque studio habitis, civilem enisi sunt variarum gentium cultum earumque instituta satius digniusque agnoscere, atque sua ipsarum animi ornamenta ac dotes ita colere ac provehere, ut faciliora inibi atque uberiora Iesu Christi Evangelium incrementa caperet. Quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole nullo non tempore perpenditur ac, si potest, sartum tectumque servatur » [45].

In oratione autem, quam ad Pontificiorum Operum Missionalium moderatores anno MDCCCCXXXXIV habuimus, haec inter alia dicebamus: « Evangelii nuntius ac praeco Iesu Christi apostolus est. Munus, quo fungitur, non illud postulat ut qualem civilem cultum Europae populi susceperint, talis, neque ullo modo alius, in longinquas Missionum terras, quasi transposita arbor, transferatur ac propagetur; sed illud potius, ut novae gentes, quae interdum antiquissima excultaque humanitate gloriantur, ita edoceantur ac conformentur, ut aptae parataeque evadant ad christianorum morum christianaeque vitae principia libenti actuosoque animo excipienda: quae quidem principia cum quolibet civili cultu congruere possunt, modo sanus atque integer sit, atque eidem pleniorem queunt vim conferre humanam tutandi dignitatem felicitatemque assequendi. Catholici indigenae, etsi primo loco magnae Dei familiae eiusque Regni cives sunt [46], haud desinunt tamen esse terrenae etiam suae patriae cives » [47].

Pars III. - *De cooperatione missionali.*

De Expositione missionali Anni Sancti.

Decessor Noster fel. rec. Pius XI, Iubilari Anno MDCCCCXXV, amplissimam rerum missionalium Expositionem instrui iussit, cuius exitum, felicissimum sane, hisce suis ipse verbis describit: « Res quasi a Deo prodita videtur, ex qua novo quodam testimonio vivam Ecclesiae Dei compaginem, ubique gentium unam cohaerere, experiundo etiam comperimus... Reapse ingentis instar immensique libri exstitit et adhuc prostat Expositio » [48].

Nos quoque eo consilio ducti, ut sacrarum expeditionum egregia

---

[45] *A. A. S.*, 1939, p. 429.
[46] Cf. *Ephes.*, II, 19.
[47] *A. A. S.*, 1944, p. 210.
[48] Allocutio 10 ianuarii 1926.

promerita, ea potissimum quae ad cultiorem humanitatem peculiari modo spectant, quam plurimis innotescerent, per elapsi Anni Sacri decursum, uberem documentorum copiam colligi, atque, uti nostis, haud procul a Vaticanis Aedibus publice ad spectandum exhiberi statuimus, per quae scilicet, sive apud gentes iam excultas sive apud populos rudioris adhuc ingenii, christiana optimarum artium instauratio, a missionalibus invecta, luculenter ostenderetur.

Exinde revera patuit quantopere ad ingenuarum artium profectum et ad studia, quae de hac re apud Athenaea pertractantur, Evangelii praeconum opera contulerit; patuit quoque Ecclesiam nativo cuiusvis gentis ingenio non obstare, sed illud potius quam maxime perficere.

Benignissimo autem Deo illud referimus acceptum, quod singulari studio atque favore omnes huiusmodi eventum exceperint, palam profecto testantem missionalem rem auctis pollere viribus amplioribusque vigere incrementis. Siquidem sacrorum operariorum navitate, apud ethnicas gentes inter se loco dissitas moribusque dissimiles, Evangelii afflatus adeo animos imbuere valuit, ut huiusmodi optimarum revirescentium artium diserta testimonia protulerit. Hinc rursus perspectum est christianam fidem, animis insitam congruentibusque moribus expressam, unam posse hominum mentes ad ea exquisitissima opera perficienda evehere, quae profecto haud deficiens exstant Ecclesiae Catholicae laus, divinique cultus splendidissimum ornamentum.

De promovendis Unione Missionali Cleri ac Pontificiis Operibus missionalibus.

Probe meministis per Encyclicas Litteras *Rerum Ecclesiae* eam vehementer commendari, quam Missionalis Cleri Sodalitatem vocant, et cuius est homines ex utroque clero sacrorumque alumnos adsciscere ad catholicarum Missionum causam coniunctis viribus omnique ope propagandam. Nos autem, qui prosperos huius Sodalitatis progressus, uti supra diximus, non sine magna animi iucunditate perspeximus, enixe percupimus ut eadem latius usque excrescat, ac sacerdotum iisdemque concrediti populi studiosiorem cotidie voluntatem exstimulet ad missionalia opera adiuvanda. Haec Sodalitas quodammodo fons est, unde ad cetera eiusmodi pontificia instituta, a Propagatione Fidei videlicet, a S. Petro Apostolo pro Clero indigena et a S. Infantia, tamquam ad florescentes agros irri-

guae aquae decurrunt. Non est cur verbis immoremur in praestantia, necessitate, praeclaris meritis horum Operum illustrandis, quae quidem plurimis, iisque uberrimis, Decessores Nostri cumularunt indulgentiarum divitiis. Nobis perplacet sane christifidelium elargitiones, die praesertim sacris iuvandis Missionibus assignata, corrogari: primis tamen in optatis Nobis est, ut omnes Omnipotenti Deo preces adhibeant, ut ad missionalium munera vocatos adiuvent, utque Pontificia Opera, quae diximus, quam maxime, dato nomine, promoveant. Haud ignoratis sane, Venerabiles Fratres, festum a pueris peculiari modo idcirco celebrandum nuper a Nobis institutum esse, ut Opus a S. Infantia supplicationibus habitis ac collata stipe provehatur. Inde assuescant hi filioli Nostri pro infidelium salute Deum instanter exorare; atque utinam eveniat ut suis in animis, adhuc innocentiam redolentibus, apostolatus missionalis germina apte insita adolescant.

Praeterea meritis iuvat honestare laudibus tot tantaque incepta, quae eadem de causa Religiosorum Instituta tam impenso studio provehunt, ut Pontificiis Operibus Missionalibus omni ope auxilientur; itemque paternam placet Nostram profiteri benevolentiam iis feminarum coetibus quae ad liturgicas vestes ac lintea conficienda utiliter adlaborant. Illud denique universis Ecclesiae administris, Nobis sane dilectissimis, asseveramus: operam, a christiano populo datam pro infidelium salute procuranda, in optimos reviviscentis fidei fructus efflorescere; atque auctis sacrarum expeditionum studiis auctum pariter pietatis incrementum respondere.

Exhortatio ad clerum et christifideles ut missionariis sociam operam efficaciorem praestent.

Nolumus denique Encyclicis hisce Litteris finem imponere, quin ad clerum et ad christifideles universos mentem cogitationemque Nostram studiose convertamus, eisdemque cumprimis gratum admodum profiteamur animum. Equidem hoc etiam anno a filiis Nostris opis subsidiique largitatem Missionibus adiuvandis, haud mediocriter auctitatam esse comperimus. Certe nusquam caritas vestra utilius quam in hoc opere collocari potest, quippe quod sit Christi Regno latius proferendo ac tot fidei exsortium saluti ministrandae destinatum; quandoquidem ipse Dominus « mandavit... unicuique de proximo suo » [49].

[49] *Eccli.*, XVII, 12.

Quam ad rem, quae in epistula Dilecto Filio Nostro Petro S. R. E. Presb. Card. Fumasoni Biondi, eidemque Sacri Consilii Praefecto catholicae propagandae Fidei, die IX mensis Augusti, anno MDCCCCL data, scripsimus, ea in praesens nova sollicitudine permoti iterum instando placet admonere: « Omnes christifideles... in suscepto proposito sacras expeditiones provehendi perseverent, suas in earum bonum industrias multiplicent, enixas Deo preces indesinenter adhibeant, ad missionalium munera vocatos adiuvent, eis necessaria auxilia pro viribus suppeditando.

Ecclesia enim corpus Christi mysticum est, in quo « si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra » [50]. Quapropter cum plura ex his membris hodie acerbis discrucientur doloribus ac vulneribus sauciata reperiantur, omnes christifideles sacro tenentur officio cum illis quadam virium animorumque necessitudine sese coniungendi. In quibusdam Missionum locis bellicus furor ecclesias non paucas ac missionalium sedes, scholas, valetudinaria horrendum in modum vastavit delevitque. Ad haec damna repensanda, ad tot aedificia denuo exstruenda, totus orbis catholicus, quem constat singulari erga sacras expeditiones sollicitudine et caritate teneri, idonea subsidia liberaliter praestabit » [51].

Vobis, Venerabiles Frartres, probe cognitum est universam paene hominum consortionem in oppositas acies, pro Christo scilicet vel contra, hodie proclivi cursu prolabi. Humanum genus gravissimo in praesens divexatur discrimine, ex quo aut Christi salus, aut teterrimae sequentur ruinae. Actuosa Evangelii praeconum sollertia ac navitas Christi Regnum amplificare quidem contendit; at alii praecones sunt, qui cum ad materiam omnia referant, ac beati aeternique aevi spem quamlibet reiciant, ad condicionem homines indignissimam adducere conentur.

Maiore igitur ratione Catholica Ecclesia, amantissima omnium hominum mater, quotquot in terrarum orbe habet, universos advocat filios ut intrepidis evangelicae veritatis satoribus sociam pro viribus operam praestare studeant collatione stipis, precum suffragio, calestiumque ad missionalium munus vocationum praesidio. Eos deinde materne compellat ut misericordiae induant viscera, [52]

---

[50] *I Cor.*, XII, 26.
[51] *A. A. S.*, 1950, pp. 727-728.
[52] Cf. *Coloss.*, III, 12.

ut velint apostolici laboris, si non re, studio tamen esse participes, ut denique irritum cadere ne sinant benignissimi Cordis Iesu votum, qui « venit... quaerere et salvum facere quod perierat ». [53] Si vel ad unum domesticum convictum christianae fidei lumine quoquo modo illustrandum recreandumque contulerint, tunc divinae quamdam virtutis impulsionem, in aevum usquequaque increscentem, sciant indidem exortam; si vel unum sacrorum administrum instituendum adiuverint, tot deinceps Eucharistici Sacrificii, apostolici muneris sanctimoniaeque fructus in ipsos uberrime redundabunt. Christifideles enim universi in unam eamdemque amplissimam coëunt familiam, cuius membra militantis, purgantis, triumphantisque Ecclesiae secum invicem bona participant. Nihil igitur aptius esse videtur quam « Sanctorum Communionis » dogma ad sacrarum expeditionum utilitatem gravitatemque christiani populi menti voluntatique recte inculcandam.

Conclusio.

Paternis hisce conceptis votis, opportunisque editis principiis ac normis, fore confidimus ut, quinto ac vicesimo expleto anno, ex quo Encyclicae Litterae *Rerum Ecclesiae* in lucem prodiere, auspicium inde sumant catholici omnes ad nova ac cotidie auctiora sacris Missionibus procuranda incrementa.

Interea autem hac suavissima spe freti, cum vobis singulis, Venerabiles Fratres, tum clero populoque universo, iis nominatim, qui vel domi precibus ac collata stipe, vel apud exteras gentes sua dedita opera, sanctissimam eiusmodi causam provehunt, Apostolicam Benedictionem, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II mensis Iunii, in festo S. Eugenii I, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

(*A.A.S.* vol. XLIII, pag. 497-528).

[53] Luc., XIX, 10.

ADNOTATIONES

PARS I. - *Operis missionalis conditio durantibus postremis hisce viginti quinque annis.*

INTRODUCTIO.

Omnibus compertum est Romanos Pontifices decursu saeculorum cunctis viribus ad dilatandum Christi regnum incubuisse. Licet obligatione promovendi missiones inter gentiles adstringantur simplices fideles, sacerdotes et Episcopi, tamen ob supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores; tum in iis quae ad disciplinam et reginem Ecclesiae, per totum orbem diffusae, pertinent [1], peculiari onere tenetur Summus Pontifex curandi ut evangelium Iesu Christi amministretur gentibus, quae adhuc in umbra mortis sedent. Quod onus denuntiatur expresse can. 1350 § 2: « In aliis territoriis universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae unice reservatur », et Pius XI in allocutione habita die 20 mensis martii anno Domini 1923 ad Consilium Superius Pontificii Operis a Propagatione Fidei summo colore illustravit hisce verbis: « E' avvenuto ed avviene per essa (adunanza) qualche cosa, per la quale possiamo ben ringraziare il Signore e sperare grandi benefici per quell'opera divina fra tutte le opere, che è l'evangelizzazione del mondo; quell'opera, che fin dal primo momento del Nostro Pontificato occupò e, possiamo anche dire, preoccupò il Nostro spirito ed il Nostro Cuore, ma che pure lo ricolmò delle più alte consolazioni e delle più belle speranze; quell'opera di apostolato, che è proprio tutta la ragion d'essere del Pontificato. Tutta la tradizione cattolica chiama il Papa: Dominus Apostolicus: tant'è vero che l'apostolato è la sostanza più vera e più preziosa del Pontificato Romano » [2]

Idem Summus Pontifex, exemplum gradiens praedecessoris Benedicti XV qui post prius immane bellum omnium gentium epistolam apostolicam *Maximum illud*, die 30 mensis novembris 1919 scripsit de fide catholica per orbem terrarum propaganda [3], publici iuris fecit litteras encyclicas *Rerum Ecclesiae*, die 28 mensis februarii 1926, quo efficaciorem vim atque impulsionem daret actuosae navitati ad missiones provehendas. Superiore anno sancto in aedibus vaticanis sacrarum res missionum publice ad spectandum propositae fuerunt. At vero, ne documenta ac monita maximi ponderis,

---

[1] Can. 218 § 1.

[2] *Acta Pontificii Operis a Propagatione Fidei*, Roma 1 (1923), pp. 7-8.

[3] *Sylloge S. C. D. P. F.*, Romae 1939, n. 74, pp. 113-128.

[4] *Ibid.*, n. 120, pp. 240-258.

quae ex ipsis Expositionis Vaticanae rebus quasi tacite significantibus extiterunt, unquam conciderent ac perirent, Museum Lateranense Missionale ex delectissimis rebus, aptiore quidem modo dispositis, constitutum est. Insuper, ut excitata acriter christifidelium erga sacras missiones voluntas acrius ad agendum incederet, novas litteras encyclicas supralaudatus Summus Pontifex dedit. Duo imprimis optabat, « scilicet ut multo maior, isque ab variis cognitionibus instructior, in immensas interminatasque regiones, christiani adhuc cultus exsortes, dimitteretur operariorum numerus, itemque ut fideles intellegerent, ad opus tam sanctum ac frugiferum quo animi ardore, qua precum apud Deum instantia, qua denique liberalitate esset sibi conspirandum » [5]. Quod, quidem, largius studiosa fidelium voluntas et missionariorum zelus tulerunt, praesertim ob assiduam continuamque operam praestitam a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, cuius Cardinalis Praefectus Gulielmus van Rossum (1854-1932) omnes vires consumpsit in missionibus ubique provehendis.

Quintus ac vicesimus nunc volvitur annus, ex quo vulgatae sunt litterae encyclicae, de quibus supra. Quo temporis intervallo iterum ob immane bellum, fere ubique saeviens, et ob tumultuosos gentium motus, totus orbis suis ruinis paene oppressum se sensit, atque etiam opus evangelizationis multa damna perpessum est. Insuper plures regiones in Europa, opibus admodum florentes, in summam egestatem coniectae sunt et ipsa vita religiosa fidelium ita perturbata est ut non pauci vel fidem amiserint vel obligationes vitae christianae fere neglexerint. Ut omnes precando paenitendoque sua quisque admissa expiarent, atque ad christianam morum emendationem contenderent, Summus Pontifex, feliciter regnans, per Constitutionem *Iubiliaeum maximum*, diei 26 mensis maii 1949, indixit sacrum iubilaeum pro anno 1950 et inter cetera hortatus est fideles omnes ut supplici prece a Deo peterent ut qui adhuc essent catholicae veritatis expertes superna luce collustarentur ac flexanima gratia permoti ad Evangelii adducerentur obtemperandum praeceptis [6]. Insuper statuit ut, haud procul a Vaticanis Aedibus, inter alias Expositiones, instrueretur Expositio Artis Missionalis.

Anno Sacro feliciter absoluto et clausis ianuis Expositionis Artis Missionalis, quae ceterarum praestantissima fuit, Summus Pontifex opportunum duxit, sicut praedecessor Pius XI, ut uberem iam peractum latorem dilaudaret et ad ulterius usque summa alacritate procedendum adhortaretur omnes episcopos, sacerdotes, christifideles et ipsos evangelii praecones, alias edere Litteras encyclicas.

---

[5] *Ibid.*, p. 242.

[6] *A. A. S.*, 41 (1949) pp. 257-261.

De incrementis feliciter comparatis.

Durantibus hisce viginti quinque annis, missiones laetissimos fructus consequntae sunt, praesertim in efformando clero indigena. Anno, vero, 1926 Pastores indigenae praeerant tantum in India dioecesibus ritus malabarici Ernakulamensi, Changanacherensi, Kottayamensi, Trichuriensi et ritus latini Tuticorinensi et quodammodo etiam dioecesi Mangalorensi, quod curis cleri indigenae iam concredita erat; — in Sinis Praefecturae Ap. de Lihsien et Praefecturae Ap. de Puchi.

Hierarchia ordinaria erecta fuit in Sinis per Bullam *Quotidie nos*, diei 11 mensis aprilis 1946 [7]; in Africa occidentalis ditionis britannicae per Bullam *Laete accepimus anno*, diei 18 mensis aprilis 1950 [8]; in Africa meridionali per Bullam *Suprema Nobis*, diei 11 mensis ianuarii 1951 [9]. Insuper in Pakistana Republica fines dioecesium aliter circumscripti sunt et duae novae Provinciae ecclesiasticae Karachensis et Daechensis erectae per Constitutionem Apostolicam *Rerum locorumque adiuncta*, diei 15 mensis iulii 1950 [10].

Anteactis saeculis in missionum territoriis plura Concilia et Synodus celebrata fuerunt [11] et etiam post Codicem latum ut disciplina enascentium Ecclesiarum et opus missionale melius ordinaretur. Hisce postremis annis praeter Primum Concilium Sinense, celebratum anno 1924 et approbatum die 12 iunii 1928, habitum fuit Primum Concilium Indosinense anno 1934 et approbatum die 9 Iulii 1937; Concilium Plenarium IV Australianum anno 1937 et approbatum die 14 martii 1938; Primum Concilium Plenarium Indiae anno 1950 et approbatum die 25 martii 1951. A die 13 ad diem 26 mensis septembris anni 1931 celebratum fuit etiam Primum Concilium Regionale Coreanum, cuius acta et decreta recognita sunt die 15 martii 1932.

Universitates erectae sunt Centrum Universitarium *Lovanium* apud Kisantu in Congo belgico et *Pius XII Catholic College* apud Romam in Basutoland Africae meridionalis. Plura Collegia universitaria sunt in India, Australia, Sinis et Iaponia [12].

Ad studia missionalia fovenda condita sunt variae Facultates et Instituta missionologica. Anno 1919 apud Athaeneum Urbanum

---

[7] *A. A. S.*, 38 (1946) pp. 301-313.

[8] *Ibid.*, 42 (1950) pp. 615-619.

[9] *Ibid.*, 43 (1951) pp. 257-263.

[10] *Ibid.*, 43 (1951) pp. 66-69.

[11] G. Rommerskirchen - S. Paventi, *Elenco bibliografico dei Sinodi e Concili Missionari*, in *Bibliografia Missionaria* Roma, 9 (1942) pp. 51-166.

[12] Vide elenchum in *Le Missioni Cattoliche*, Roma, 1950 pp. 536-541.

de Propaganda Fide instituta fuit cathedra missionologiae, quae anno 1932 locum cessit Instituto Missionali, quod praeter lauream in re missionologica concedit ab anno 1943 etiam lauream in re iuridica. Anno 1933 instituta fuit Facultas missionologica apud Universitatem Gregorianam de Urbe et aliae cathedrae missionales habentur apud Universitatem Lovaniensem, Ottaviensem et Noviomagensem [13].

In urbe Collegium S. Petri Apostoli, erectum post sententiam Consilii Superioris Pontificii Operis a S. Petro Apostolico habitam die 3 decembris 1945, initium habuit anno scholastico 1946-1947 [14].

Agentia Internationalis *Fides* instituta est die 4 aprilis 1927 opera Consilii Superioris P. O. a Propagatione Fidei. Cuius officium est non solum de missionalibus rebus exquirere, comparare ac pervulgare nuntia sed etiam scripta missionalia edere [15].

Inter Conventus sacris missionibus provehendis optimo iure meritoque recensetur Conventus Missionalis habitus mense septembri anni 1950 atque etiam iustitutio Diei a Sancta Infantia, qui vero dies non dimitiendus est ut Dies Missionalis, mense octobri quotannis celebrandus sed potius dies festus, in quo coadunantur pueri, ut inscribantur Pontificio Operi a S. Infantia et amore missionum inflammentur [16].

Postea Summus Pontifex loquitur de momento Apostolicarum Delegationum et Nuntiaturarum in regimine miissionum. Hoc intervallo viginti quinque annorum erectae sunt Delegationes apostolicae pro missionibus Africae britannicae die 11 ianuarii 1930, Africae gallicae die 23 octobris 1948, in Congo belgico die 10 ianuarii 1930, in Corea die 7 aprilis 1949. Delegatio Ap. in Sinis, erecta die 9 septembris 1922, erecta est in Internuntiaturam apotsolicam anno 1947 et illa in India etiam erecta est in Internuntiaturam apostolicam anno 1948. Delegatio Ap. in Arcipelago Indonesiano, erecta die 8 iunii 1947, anno 1950 facta est etiam Internuntiatura Apostolica. In Statu Pakistano habetur ab anno 1950 Delegatio apostolica. Insuper Delegationes apostolicae habentur in Africa meridionali (7 decembris 1922), pro Australia, Nova Zelandia et Oceania apud Sydneyum (15 aprilis 1914), in Iaponia (26 nov. 1919), in Indosinis

---

[13] Circa studia missionologica plura inveniuntur in: S. Paventi, *La Chiesa Missionaria. Manuale di missionologia dottrinale*, Roma 1949, pp. 53-58.

[14] Cfr. l. c., pp. 421-423. Sanctitas Sua occasione dedicationis Collegii S. Petri Apostoli edidit Exhortationem ad clerum indigenam *Acta Pontificalium Operum*. Romae 1 (1948) pp. 34-36.

[15] Cfr. S. Paventi, *La Chiesa Missionaria, Manuale di Cooperazione Missionaria e di Missionografia*, Roma 1950, pp. 48-49.

[16] *Epistola Pii XII de instituendo die pro Sancta Infantia. Adnotationes* X. Paventi in *Monitor Eccl.*, 1 (1951) p. 83-85.

(20 maii 1925), in Albania (12 nov. 1920). Nuper etiam pro Liberia erecta est Internuntiatura mnese iulio 1951. Sed praeter Supradictas Delegationes vel Internuntiaturas Ap., dependentes a S. C. de Propaganda Fide, prae oculis habendi sunt alii Delegati vel Nuntii et Internuntii, in quorum dicione exstant missiones, praesertim in America.

Quae omnia clare edicunt quot progressus attigerit opus evangelizationis at multum etiam atque etiam faciendum superest, multum est adhuc supplicibus precibus a Deo impetrandum.

Persecutiones contra quasdam Ecclesias obortae.

Heic Summus Pontifex de persecutionibus contra quasdam Ecclesias nascentes praesertim in Corea, in Sinis et in regione septemtrionali Indosinarum. Fideles, sacerdotes indigenae et missionarii fortes in fide permanserunt sed inimici nominis christiani gravissimum damnum intulerunt in illas Ecclesias. Cuius invictae fidei strenuaeque fortitudinis saepissime nuntii afferuntur. Quodsi non defuerunt qui Catholicae Ecclesiae filios ab Apostolica Sede seiungere conarentur, excitando Ecclesias nationales, quasi id debitus erga nationem cuiusque suam postularet amor, debita requireret fidelitas; at iure meritoque fideles, sacerdotes et episcopi respondere potuerunt ac possunt nullis se civibus cedere in patria caritate.

Quid supersit faciendum.

Ad absolvendum missionale opus adhuc multum faciendum superest et ingentem prorsus exposcit operam innumerosque opifices.

Qua de causa sicut Romanus Pontifex etiam episcopi, sacerdotes et ceteri fideles vehementissima animi sollicitudine anxitudineque adlaborare tenentur ad apostolatus opera usquequaque omnique ope provehenda.

Heic Summus Pontifex, brevissime quidem, loquitur de missionibus internis Americae latinae, in cuius dioecesibus sectae protestantes ex ovili atque salutis portu abducere oves conantur.

Pars II. - *Normae quaedam de ipso opere missionali.*

Secunda pars directe agit de ipso opere miisisonali, scilicet de apostolatu evangelii praeconum et ut eorum opera efficacior usque evadat, utque ne una quidem eorum sudoris eorumque sanguinis stilla incassum cadat, principia et normae breviter enucleantur, quibus missionalium actio ac navitas regatur oportet. Heic Summus Pontifex non omnia principia et normas ad apostolatum promo-

vendum necessaria vel utilia in memoriam revocat sed de iis tantum loquitur quae urgentiara videntur praesertim in hisce temporis adiunctis. Cetera omnia praesupponuntur et vim totam in praxi servant. Praeprimis habentur principia respicientia missionarios exteros et sacerdotes indigenas.

De Missionariis.

Perbelle describitur forma et figura missionarii, qui, utpote superno quodam afflatu vocatus ad evangelica veritate christianaque virtute dissitas ethnicorum gentes excolendas, ad munus omnino grande, omnino excelsum destinatus est. Is enim vitam suam Deo consecrat, ut eius regnum ad ultimos usque terrarum orbis terminos propagetur. Debet igitur regionem illam, ad quam Evangelii lucem allaturus venit, quasi alteram patriam considerare debitaque eam adamare caritate; atque adeo non terrena emolumenta quaerat neque ea, quae ad Nationem suam vel ad Religiosum Institutum suum spectent, sed ea potius, quae ad salutem pertineant animarum. Ac meminerit nihil esse Sodalitati suae profuturum, quod Ecclesiae bono obstet.

Quae verba Summi Pontificis brevissime repetunt principia et normas semper tradita suis missionariis a Sacra Congregatione de Propaganda Fide. In plurimis missionum territoriis populi exagitantur ad plenam iurium civilium libertatem assequendam vel confirmandam, unde omnimo necessarium est ut misisonarius habeatur non ut civis alicuius exterae nationis sed solum ut evangelii praeco destinatus ad fidem Christi praedicandam [17].

Opus praeterea est ut missionarius non modo ad omnes virtutes ad omnesque ecclesiasticas disciplinas instituatur ac conformetur, sed peculiares etiam illas doctrinas et artes addiscat, quae summae erunt utilitatis in opere missionali exercendo. Unde clare reprobatur sententia illorum qui autumant omnes sacerdotes post absoluta studia in dioecesanis seminariis aptos esse ad opus missionale arripiendum quin peculiari ratione instituantur [18].

De fine missionum.

Quo clarius intelligatur actio et navitas missionariorum, in memoriam revocatur finis peculiaris missionum, qui est ut Ecclesia apud alios populos firmiter constabiliatur, eidemque propria, ex

---

[17] Cfr. S. Paventi, *La Chiesa Missionaria, Manuale di Missionologia dottrinale*, Roma 1949, pp. 91-99.

[18] Cfr. l. c., pp. 301-327. S. Paventi, *L'azione missionaria delle diocesi*, in *Missionswissenschaftliche Studien*, Aachen 1951, pp. 152-171.

indigenis delecta, tribuatur hierarchia, scilicet ut Ecclesia inter alios populos plantetur.

De hac quaestione praesertim hisce postremis annis acriter disputarunt missionologi, qui hodie fere omnes sententiam de plantatione Ecclesiae defendunt [19] eo vel magis quod non solum praxis ipsius Sacrae Cngregationis de Propaganda Fide sed etiam omnia documenta pontificia, praesertim recentia, sacras missiones eo niti plane ac dilucide edicunt, quasi supremum efficiendum propositum, ut in novis nempe terris constitueretur Ecclesia.

De clero indigena.

Patet tamen Ecclesiam non posse novis in regionibus apte rectequе constabiliri nisi, primo, necessitatibus par, clerus indigena rite sit iustitutus ac conformatus; atque, secundo, nisi opportuna ac consentanea ibi habeatur rerum operumque ordinatio.

Quoad necessitatem excitandi et instituendi clerum indigenam quaedam Pius XII sapientes sententias litterarum encyclicarum « Rerum Ecclesiae » iterat, praesertim ea quae pressius referuntur ad statum missionum Coreae et Sinarum, immortales Deo gratias agens quod iam in utraque Natione frequens succrevit clerus nativus et quod iam ibi dioeceses non paucae illius gentis Episcopis creditae fuere.

Heic Summus Pontifex proponit normam valde utilem ad futurum profectum Ecclesiae nascentis. Missionariis exteris ad normam recepti mandati apostolici onus et honos incumbit proscindendi domicum agrum et plantandi Ecclesiam. Quo opere absoluto locum cedere debent clero indigenae, quin derelinquant omnino territorium, a se excultum. « Sicut enim in ceteris omnibus catholici orbis dioecesibus plerumque religiosi sodales Ordinario locorum Antistiti adiumenti sunt, ita pariter iidem in missionum regionibus, etsi ex alia orti sunt gente, veluti auxiliares copiae sanctum certamen non desinent ». Quod, quidem, saepissime S. C. de Propaganda Fide omnino exigit et missionariis mandat ut post concreditam missionem clero indigenae in eadem adiutricem operam praestent praesertim in Collegiis, Seminariis, in quadam paroecia vel in domibus religiosis. Quae praxis introducta est plene in dioecesibus Iaponensibus, quorum Ordinarii sunt omnes nativi. Plures sunt missionarii exteri qui adlaborant vel in quibusdam operibus vel in certa regione circumscriptionis ecclesiasticae sub directa aucto-

---

[19] Benevolus lector, qui cognoscere cupiat statum quaestionis hac in re, legere potest: S. Paventi, *La Chiesa Missionaria. Manuale di Missionologia dottrinale*. Roma 1949, pp. 13-38.

ritate Superioris religiosi eiusdem Instituti sed facultates omnes ad curam animarum exercendam recipiunt ab Ordinario nativo [20].

De Actione Catholica et ceteris Consociationibus.

Ut missionariis adiutricem navitatem actuose praestarent laici in evangelicae veritatis lumine latius cotidie diffundendo, Summus Pontifex enixe commendat ut in omnibus dissionum territoriis instituatur Actio Catholica, quorum sodales, sicut in ceteris Ecclesiae regionibus, nullo accepto honorario sed divina solummodo permoti caritate sacrorum administris in eorum obeundo munere praesto sint atque auxilientur. Cupit, igitur, Sua Sanctitas ut ubique consociationes id genus constituantur, in quas confluant viri ac mulieres, iuvenes studiis vacantes, operarii, artifices et illi qui gymnicis palaestricisque ludis dant operam.

Nunc temporis, vero, fere in omnibus missionibus florent consociationes Actionis Catholicae, praesentim in India, Indosinis, Iaponia atque olim etiam in Sinis. Nac desunt cetera sodalicia piaeque sodalitates ad finem particularem assequendum. Cum in plurimis regionibus Ecclesiae missionalis res publica regatur ratione democratica, sicut apud nos, optimo iure eadem Sanctitas Sua hanc normam sapientissimam dat: « Nihil... prohibet quominus », qui in eius (Actionis Catholicae) agmina adsciti sunt, consociationes etiam participare queant, quarum sit res sociales ac politicas ad Evangelii principia ac rationes conformare ». Quod praescriptum recenter valde proficuum evasit in India et Indonesia.

De Scholis - De scriptis typis edendis.

Non solum inter rudiores gentes sed praesertim in territoriis antiquae culturae scholae catholicae quam maxime necessariae sunt atque etiam scripta de rebus ac de doctrina catholica. Hodie forsan in plurimis missionum territoriis urgentiores sunt fratres et sorores, ad docendum apti, quam ipsi sacerdotes. Sed, proh dolor!, protestantes hac in re longe catholicis anteverterunt.

De Operibus caritatis.

Commendantur opera caritatis quae efficacitate summa ethnicorum animos praeparant atque alliciunt ad christianam amplectendam fidem. Necesse tamen est ut religiosi viri ac praesertim sorores publica diplomata pro exercendis id genus artibus consequantur [21].

---

[20] Cfr. l. c., pp. 343-344.
[21] Cfr. l. c., pp. 431-435; 398-406.

De missionariis laicis.

Heic Sanctitas Sua breviter mentionem facit de laicis viribus qui exercendae artis medicinae et chirurgiae documentis ornati, libenter velint suam patriam relinquere ut in missionum nosocomiis operam praestent.

De quibus laicis missionologi saepius hodie loquuntur illosque missionarios laicos vocant. In multis regionibus Europae et Americae erectae sunt consociationes atque coetus ad hoc ut viri et mulieres, quin vota emittant, petere possint territorium missionum et adiutricem operam praestent in exercendis peculiaribus artibus. Fere Omnia, vero, incepta, hucusque habita, valde debilem ordinationem praeseferunt, quia generatim vincula illa iuridica, quamlibet societatem firmantia, sunt vaga et incerta [22].

De operibus socialibus.

Omnes apprime norunt quot iniustitias patraverint populi ex genere europaeo erga gentes Africae et plures nationes Asiae orientalis et Oceaniae. Flagitia id genus, saepe saepius admissa nomine falsae cuiusdam christianae doctrinae, animum plurimorum ab amplectenda religione catholica averterunt, immo corda ad seditionem lente concitarunt. Quae, cum ita sint, urgentiora reddunt in plurimis missionum territoriis problemata socialia. Quomodo gentes infideles possunt audire et amplecti verba doctrinae Christi circa caritatem et iustitiam, si plures, qui christianos se esse edicunt, in teterrimam servitutem illas gentes detrudunt? Necesse est, ergo, ut in missionum territoriis problemata socialia exagitentur et solvantur secundum principia, pluries repetita a Summis Pontificibus et evangelii propagatores etiam in tutandis iuribus gentium omnibus praeluceant ac praestent, ne filii huius saeculi prudentiores filiis lucis hac in re sint.

De territoriis religiosis missionariis concreditis.

Heic Summus Pontifex loquitur de praxi adhibita a S. C. de Propaganda Fide in ordinatione missionum, quae concreduntur vel curis cleri indigenae vel missionariorum exterorum, pertinentium ad Ordinem vel Congregationem religiosam. Missiones nunquam concreduntur alicui dioecesi Ecclesiae iuris communis. Quae vero, commissio semper intelligenda est ad nutum Sanctae Sedis, unde S. C. de Proapganda Fide potest semper aliquod territorium, iam concreditum alicui Instituto missionali, dividere et erigere novam

---

[22] S. I. L. M., *Le Laicat Missionnaire*, Milano 1951.

missionem committendam aliis operariis. Ex hac missionum ordinatione plures characteres iuris missionalis proveniunt [23].

De accomodatione missionali.

Aliud problema Sanctitas Sua attigit circa methodologiam missionalem, cuius principia clare ipsa S. C. de Prop. Fide statuit in Instructione data prioribus episcopis seminarii Parisiensis. Hodie penitius cognoscuntur ethnicorum doctrinae et mores, unde facile est animadvertere quaenam sint fidei contraria et evitare antiquas controversias quae tantam iacturam intulerunt in profectum operis apostolici. Sufficit heic recolere quaestionem de ritibus sinensibus et malabaricis [24].

Principium fundamentale clare exprimit Summus Pontifex. Catholica Ecclesia gentium doctrinas et mores neque despicit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummat atque perficit.

Pars III. - *De cooperatione missionali.*

De Expositione missionali Anni Sancti.

Exemplum gradiens Pii XI, qui occasione Anni Sancti 1925, amplissimam rerum missionalium Expositionem iussit instrui, etiam Pius XII per elapsi Anni Sacri decursum uberem documentorum copiam colligi atque publice ad spectandum exhiberi statuit, per quae christiana optimarum artium instauratio, a missionariis invecta, luculenter estenderetur. Singulari studio atque favore omnes huiusmodi eventum exceperunt.

De promovendis Unione Missionali Cleri ac Pontificiis Operibus missionalibus.

Omnibus compertum est sacerdotes et fideles per Unionem Missionalem Cleri atque per Pontificia Opera Missionalia a Propagatione Fidei, S. Petri Apostoli pro clero indigena, Sanctae Infantiae sociam operam apostolatui inter acatholicos praestare, preces Deo fundendo, stipes offerendo et vocationes missionarias excitando. Cetera incepta ad uberiorem cooperationem obtinendam

---

[23] Cfr. S. Paventi, *La Chiesa Missionaria. Manuale di Missionologia dottrinale*, Roma 1549, pp. 290-294; Bartoccetti V. *Ius constitutionale missionum*, Torino 1947.

[24] Cfr. S. Paventi, *l. c.*, pp. 360-365.

non reprobantur sed ita promoveri debent ut nullum damnum inferatur Operibus Pontificiis [25].

Perbelle naturam et finem Unionis Missionalis Cleri describit Sanctitas Sua hisce verbis: « Haec Sodalitas quodammodo fons est, unde ad cetera eiusmodi pontificia instituta... tamquam ad florescentes agros irriguae aquae decurrunt ». In memoriam revocat etiam institutionem Diei pro Sancta Infantia, quam potius festum vocat.

Meritis honestat laudibus etiam Operam Apostolicam, per quam foeminarum coetus ad liturgicas vestes ac lintea pro missionibus conficienda utiliter adlaborant.

EXHORTATIO AD CLERUM ET AD CHRISTIFIDELES UT MISSIONARIIS SOCIAM OPERAM PRAESTENT.

Imprimis Sanctitas Sua gratias agit clero et christifidelibus de eorum largitate subsidii missionibus adiuvandis. Cum, vero, humanum genus gravissimo in praesens divexetur discrimine, ex quo aut Christi salus, aut teterrimae sequentur ruinae, eadem Sanctitas Sua, in memoriam revocans arctissimam communionem inter varia membra Mystici Corporis Christi, universos exhortatur filios ut intrepidis evangelicae veritatis satoribus sociam pro viribus operam praestare studeant corrogatione stipis, precum suffragio, caelestiumque ad missionalium munus vocationum praesidio.

CONCLUSIO.

Finem imponens suis Encyclicis Litteris fore confidit ut quinto ac vicesimo expleto anno, ex quo Encyclicae Litterae « Rerum Ecclesiae » in lucem prodiere, auspicium inde sumant catholici omnes ad nova ac cotidie auctiora sacris missionibus procuranda incrementa.

Velint universi sacerdotes et fideles praecepta nova et vetera data a Romanis Pontificibus circa sacrarum expeditionum utilitatem et gravitatem ita toto animo cogitare ut apostolici laboris, si non re, studio tamen omnes sint participes.

XAVERIUS PAVENTI.

---

[25] S. PAVENTI, *La Chiesa Missionaria, Manuale di Cooperazione Missionaria e di Missionografia*, Roma 1950, pp. 9-88. Auctor loquitur de potioribus operibus pro missionibus.

EPISTULA

AD E.MUM P. D. CLEMENTEM S. R. E. CARDINALEM MICARA, EPISCOPUM VELITERNUM, PRO-PRAEFECTUM S. CONGREGATIONIS RITUUM, SS.MI D. N. PAPAE IN URBE VICARIUM GENERALEM : DE NOVO STATUTO DATO CONSOCIATIONI ITALICAE A SANCTA CAECILIA.

Signor Cardinale,

E' certo ben noto lo zelo spiegato dai Romani Pontefici nel corso dei secoli perchè la musica sacra, che ha tanta importanza nella liturgia cattolica, si mantenesse del tutto degna della santità del culto divino.

In quest'opera assidua di tutela e d'incremento, i Nostri Predecessori, direttamente o per mezzo delle Sacre Congregazioni della Curia Romana, impartirono norme e risolsero dubbi in ordine alla stile e all'uso dell'arte musicale nelle funzioni liturgiche.

E perchè tali norme e risoluzioni fossero più facilmente messe in esecuzione, i Sommi Pontefici favorirono ed incoraggiarono il sorgere e lo svilupparsi di pie associazioni fra il Clero ed i fedeli, aventi lo scopo precipuo di curare la retta osservanza e la divulgazione delle norme emanate dalla Santa Sede in proposito. Non è dubbio che tra le dette pie associazioni, è da annoverare l'Associazione Italiana di Santa Cecilia, la quale è stata più volte incoraggiata e benedetta da questa Cattedra, ed ha esplicato, in quest'ultimo scorcio di tempo, una bella e fruttuosa attività nel popolo fedele per la restaurazione della musica sacra in Italia, secondo le sapientissime norme direttive date al principio del Suo Pontificato, col Motu Proprio « Inter pastoralis officii », dal glorioso Pio X, che, con somma letizia del Nostro animo, Ci disponiamo a proclamare Beato.

Quum quidam nedum violentas manus sacrilege iniicere in Excmum P. D. Iosephum Grösz, Archiepiscopum Colocensem, sed et Illum ad iudicem laicum trahere et iniquo iudicio subiicere atque ab exercitio Suae archiepiscopalis iurisdictionis impedire ausi sint, haec Sacra Consistorialis Congregatio declarat eos omnes qui huiusmodi delicta patraverint, sive mandantes cuiuscumque generis et gradus, sive complices quos praefata delicta, sua natura, postulaverint, sive illos qui ad delictorum consummationem induxerint vel in hanc quoquo modo concurrerint, si tamen sine eorum auxilio delictum non fuisset commissum, excommunicationem latae sententiae speciali modo Sedi Apostolicae reservatam — ad tramitem cann. 2343 § 3, 2341, 2334 n. 2, 2209 §§ 1-3, — contraxisse ceterasque poenas pro qualitate delinquentium incurrisse ad normam sacrorum canonum Codicis Iuris Canonici.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 29 Iunii 1951.

+ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*.
L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*.

(*S. A. A.* Vol. XLIII, pag. 481).

ADNOTATIONES

Exc.mus Joseph Grösz, natus d. 9 Decembris 1887, ad sedem archiepiscopalem Colocen. (Kalocza) promotus d. 7 Maij 1943, post iniquam detentionis poenam E.mo Card. Joseph Mindszenty, Archiepiscopo Strigoniensi Hungariae Primati, inflictam, Praeses Episcopatus Hungarici fuit constitutus.

Nonobstante dira persecutione a communistico illius Nationis Gubernio contra Catholicam Ecclesiam impie promota, Archiepiscopus Grösz, ad omnem occasionem tollendam graviorum contra Clerum ac fideles vexationum, die 31 Augusti 1950 quendam « mo-

dum vivendi » nomine Episcopatus Hungarici cum praedicto Gubernio subsignavit.

At, cum postea Episcopi Hungarici, loco sic dictae petitionis pacis a communistico congressu berolinensi exaratae propriam catholicamque declarationem pro pace in toto mundo fovenda ediderint diebus 2-3 Aprilis 1951, hinc Gubernium communisticum Hungariae Archiepiscopum Grösz iniquo processui subiicere non erubuit, Vilmos Olti inique judicante et Gyula Alapi impie accusante, qui iam eodem munere functus est contra E.mum Card. Mindszenty.

Et quoniam inter alia falsa imputationis capita contra Exc.mum Grösz illud etiam propositum fuit conjurationis contra Statum, et quidem sub S. Sedis instigatione, praestat hic in integrum referre epistulam, quam die 2 Januarii 1949 S. P. Pius XII, post injustam Card. Mindszenty damnationem, Episcopis Hungariae misit ut eos Ipse, universae Ecclesiae Pastor, in Fide confirmaret [1]: « Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Acerrimo moerore comperimus Dilectum Filium Nostrum Iosephum S. R. E. Card. Mindszenty, Archiepiscopum Strigoniensem, e sua fuisse sede temerario ausu deturbatum et in publicam deductum custodiam; quod quidem in Praesule meritissimo sacram religionis maiestatem ipsamque offendit humanam dignitatem. Postulat igitur officii Nostri conscientia ut hoc contra Ecclesiae iura facinus, quod non modo vos, sed omnes etiam Hungariae universique terrarum orbis catholicos summa maestitia indignationeque affecit, publice deploremus et conqueramur, illatamque cunctae Ecclesiae iniuriam sollemniter expostulemus. Novimus optimi huius Pastoris promerita; novimus illibatam tenacemque eius fidem; novimus denique apostolicam eius fortitudinem in christianae doctrinae integritate tuenda et in sanctissimis vindicandis religionis iuribus.

Quodsi forti strenuoque pectore obstitit, cum vidit Ecclesiae libertatem cotidie magis minui ac multimodis coangustari, itemque cum non sine magno christifidelium detrimento perspexit eius magisterium ministeriumque praepediri — quod quidem in templis non solum, sed publice etiam in aperta fidei professione, in litterarum ludis ac scholis, in scriptis typis edendis, in piisque ad sacras aedes peregrinationibus et in coetibus ab Actione Catholica nuncupatis exerceri oportet — id profecto non dedecori vertitur, sed laudi potius, cum sit pastoralis eius vigilantiae officio tribuendum.

Cupimus igitur, Venerabiles Fratres, dolorem luctumque vestrum paterno participare animo; vosque etiam atque etiam in Domino adhortari ut, quemadmodum soletis semper, sic praesertim in gravissimo hoc rerum descrimine, uno animo unaque mente et

[1] Cfr. *A. A. S.* Vol. 41 (1949), pag. 29 sq.

opera demandatum vobis pastorale munus sedulo sollerterque obire ne desistatis, memores profecto pro Ecclesiae libertate ac sacrosanctis eius iuribus non modo labores angoresque, sed vitae etiam iacturam, si oporteat, esse tolerandam. Pro certo autem habemus vos paternae huic adhortationi Nostrae ultro esse actuoseque responsuros; atque universam catholicam Hungariam, Nobis sane carissimam, cuius historia tot gloriosis resonat Ecclesiae fastis, impeditissimis hisce rerum condicionibus parem omnino fore, ac ceteris etiam gentibus praeclara christianae fortitudinis exempla esse praebituram.

Haud ignoramus quidem praesentis tempestatis gravitatem, quae in vos in gregemque vestrum formidolose ingruit; sed pari modo apostolicum studium vestrum, pastoralis prudentia animorumque vestrorum in decernendo agendoque coniunctio et unitas Nobis perspecta atque explorata sunt; nec minus est Nobis cognita ac comprobata indomita illa strenuitas vestra, quae cum Deo unice fidat eiusque innitatur auxilio, omnia potest evincere ac superare. Collatis igitur consiliis ac viribus, pergite fortes, Venerabiles Fratres, ea quidem fortitudine quae a Caelo oritur ac divina alitur gratia. Ne fallaci decipiamini veritatis specie, quae per praestigias solet allectationesque inescare animos. Maiores vestri, qui iam superioribus omne genus erroribus obstiterunt ac tam adversas eluctati sunt difficultates, luculenter vos docent christianam religionem accusari atque oppugnari posse, vinci non posse.

Eorum vestigiis fidentes insistite; et quidquid inviolata fides postulat, quidquid christiana praecepta in credendo agendoque requirunt, in id sedulo incumbite, nullis parcentes laboribus nullaque formidine deterriti. Hoc esto vobis solacium, quo maius profecto haberi non potest: vos nempe pro pacifero ac salutari Christi Regno decertare, quod non est de hoc mundo (cfr. Ioan. XVIII, 36), sed cuius est hominum mores veritate, iustitia, caritate temperare omnesque per terrestrem hanc peregrinationem ad caelestem patriam reducere aeternamque beatitatem.

Peculiari autem modo optamus, Venerabiles Fratres, ut precibus etiam pro iis qui vos persequuntur ad Divinum Redemptorem admotis ad eiusque sanctissimam Matrem, Hungariae Patronam una simul contendatis ut mentibus errore infuscatis superna lux affulgeat, ut animos odio simultateque dissociatos christiana concordia conciliet atque componat, utque tandem aliquando meliora ac tranquilliora dilectissimae patriae vestrae, caelesti opitulante gratia, oriantur tempora.

Quorum ominum votorumque effectrix esto Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ac gregibus unicuique vestrum concreditis, iisque praesertim, « qui persecutionem patium-

tur propter iustitiam » (Matth. V, 10), amantissime in Domino impertimus ».

Profecto Episcopi Hungariae exhortationem Successoris S. Petri summa receperant veneratione Eiusque mandatis fideliter steterunt. Immo Archiepiscopus Grösz, occasione arrepta Festi Incoronationis S. P. Pii XII feliciter regnantis, in allocutione coram omnibus habita in ecclesia S. Stephani, Strigoniae, haec inter alia egregie dixit: « Fides nostra martyrum sanguine seminata fuit: Nero ac Diocletianus mortui sunt; S. Petrus autem semper adest ».

Quae quidem praeclara verba ab Exc.mo Viro, dum Ipse plene compos sui erat, prolata dum alia dicta delent in nefanda captivitate ab Eodem extorta, Clerum ac fideles Nationis Hungaricae in Catholica Fide invicte confirment.

. . .

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS

LITTERAE CIRCULARES

DE USU TABACI IN STATIBUS PERFECTIONIS AD SUPREMOS MODERATORES DIRECTAE

PROT. N. 2511/51 S. R.

Rev.me in Christo Pater,

Superioribus his annis, post ultimum absolutum bellum, non paucae consultationes, querimoniae atque denuntiones et formales accusationes circa usum tabaci apud sodales statuum perfectionis, a Moderatoribus et Capitulis Generalibus ipsisque religiosis observantiae studio actis atque etiam ab Ordinariis locorum pervenerunt.

In Religionibus ac Societatibus in quibus ex Constitutionibus seu ex legitimis receptis traditionibus praescriptisque Capitulorum ac Superiorum tabaci usus proscriptus est, interventus Sacrae Congregationis diverse invocatus, fuit, ut efficaciter illicitus usus, occasione praecipue bellorum huc illuc introductus, reprimeretur atque extirparetur.

Quod spectat vero Religiones et Societates penes quas usus tabaci generatim illicitus non habetur, animadversum est ipsum saepe abusibus satis gravibus ansam atque occasionem dare. Hi abusus multimodis religiosam paupertatem, mortificationis spiritum ac modestiam etiam externam offendere ac labefactare solent.

Occasione recentissimi Statuum perfectionis Congressus, quaestio de tabaci usu et abusu pertractari potuisset, sed quod tunc diversis de causis factum non fuit, Sacra Congregatio officii sui esse ducit statim cum Rev.mi Supremis Moderatoribus clare et sincere pertractare, ut cum iisdem servanda recta criteria circa usum tabaci communicet et ipsorum zelum in coercendis tabaci abusibus, si qui in propriis Religionibus ac Societatibus suis existant, fortiter excitet. Nam sodales Statuum perfectionis hac in re exemplum fidelitatis at christianae religiosaeque paupertatis, temperantiae et modestiae omnibus esse debent.

His igitur generalibus normis Sacra Congregatio criteria quae circa tabaci usum retinenda sunt comprehendit:

I. In Religionibus, Societatibus, Institutis in quibus sive ex approbatis Constitutionibus, sive ex legitimis receptisque Capitulorum Superiorumque praescriptis tabaci usus vel proscribitur vel proscribitur vel arcte limitatur, vel conditionibus stricte subiicitur, haec legitima praescripta sancte servanda et urgenda sunt. S. Congregatio illa praescripta ut partem mortificationis observantiaeque regularis ac religiosae in illis Religionibus ac Societatibus Institutisque constituentia iure merito nec sine iustis rationibus, confirmat ac tuetur.

II. In Religionibus, Societatibus atque Institutis, in quibus moderatus tabaci usus receptus est et legitime viget, ita hic usus regulandus est ut religiosa paupertas salva prorsus sit cum quoad expensas, tum quoad dependentiam a Superioribus, spiritus asceticae et religiosae mortificationis, quae Statuum percetionis unum ex imis fundamentis consituit, nullo modo detrimentum capiat, ac denique bono exemplo atque fidelium seu externorum aedificationi ratione loci, modi, temporis, tabaci usus nec noceat nec quomodolibet attentet.

III. Ad haec pericula vitanda (n. II) et ad efficaciora reddenda Constitutionum Capitulorumve vigentia ac legitima praescripta (n. I), Superiores cum propriis Consiliis possunt ac debent peculiares, si opus sit, normas edere, quibus usus tabaci quoad modum, quantitatem, tempus, locumque moderentur.

IV. Generatim Sacra Congregatio tabaci introductioni, regularum derogationi in ipsius usum, disciplinae hac in re relaxationi, sive in Religionibus, sive in Societatibus, sive in Institutis, obsistit. Sane, hae relaxationes, derogationes, permissiones, fateri sincere debemus generatim spiritui religioso, experientia teste, non favent, immo faciliter ipsi non leviter nocent.

V. Si in diocesibus aliquae normae pro tabaci usu, praesertim publico, ab Ordinariis locorum clericis datae fuerint, Superiores curare omnibus modis debent ut sanctae ac fidelissime a religiosis, ceterisque qui evangelicam perfectionem sectantur, pro illorum publica professione sanctitatis, adamussim observentur. Si Ordinarii locorum harum normarum infractiones vel abusus tabaci a suis religiosis admissa, cum Superioribus communicent, hi efficaciter ac diligenter provideant.

Deum haec cum Paternitate Tua communico, Te oro ut ea quae de hac re in Tua Religione constituta iam sunt vel statim constituere cum Tuo Consilio decreveris, ad hanc Sacram Congregationem exhibere cures.

Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XII in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto die 8 ianuarii benigne concessa, has circulares Litteras approbare dignatus est.

Romae, die 10 ianuarii 1951.

+ CLEMENS Card. MICARA, *Praefectus.*

P. Arcadius Larraona, C. M. F.
Secretarius

ADNOTATIONES

1. Disciplina de usu tabaci penes religiosos momento practico non caret. Immo his ultimis annis sanum criterium asceticum et religiosum apud nonnullos obscurabatur et aliquo modo in discrimine ponebatur; unde S. Congregatio de Religiosis opportunum duxit sana principia in memoriam religiosorum revocare. Superiorum etiam auctoritatem corroborare intendit in coercendis abusibus de usu tabaci.

2. *Character Documenti.* - Sub modesto titulo Litterarum Circularium latet veri nominis Instructio. In *Acta Apostolicae Sedis* non publicatur, decoratur tamen R. Pontificis approbatione. Nihil novum in ea statuitur, criteria tamen et sensus S. Sedis in subiecta materia perlucide declarantur. Stilo plano et simplici composita est.

Dirigitur Instructio ad *supremos Moderatores Statuum perfectionis;* ubi intelliguntur tum Ordinum tum Congregationum et Societatum in communi viventium sine votis publicis, tum denique Institutorum saecularium Superiores [1].

3. *Usus tabaci penes religiosos.* — Instructio supponit tabaci usum licitum esse in aliquibus Religionibus (et quidquid de Religionibus dicimus de aliis etiam Statibus perfectionis intelligendum est), ut communiter accidit in Religionibus ante Americam repertam

---

[1] Instituta saecularia ad normam Const. Apost. *Provida Mater Ecclesia* diei 2 febr. 1947 continent verum Statum perfectionis evangelicae. Super hoc argumento et super omnibus quae Instituta saecularia spectant, cfr. opus DE INSTITUTIS SAECULARIBUS: *Documenta Pontificia necnon studia dogmatica, iuridica, historica, practica,* cura et studio Ephemeridis *Commentarium pro Religiosis et Missionariis* (Roma, Via Giulia, 131), vol. I, 1951, pag. 380 Volumen II paratur.

fundatis; in aliis vero vel proscriptum esse, vel arcte limitari, vel certis conditionibus stricte submitti.

Rem aliquibus exemplis sufficiat illustrare.

« Prohibetur usus tabaci sine gravi ratione et licentia Superioris maioris in scripto data » [2].

« Usus qualiscumque tabaci Nostris prohibetur. Superioris maioris est in aliquo casu particulari, si necessitas adest, illius usum permittere » [3].

« Fumare tabacum Nostris non licet sine speciali licentia Superioris provincialis, vel si de casu singulari agitur, Superioris localis; numquam porro in recreatione aut alias in communi, nec in circuitionibus, nec in locis ubi ab extraneis observari possunt. Superiores autem non sine gravi causa hanc licentiam erogabunt. Provinciales porro et novitiorum Magistri serio moneant eos, qui Congregationem ingredi volunt, quod huiusmodi consuetudini fumandi renuntiare tenentur. Praeterea Novitiorum Magistri et Studentium Praefecti invigilare debent, ne alumni Congregationis nostrae sine ratione sufficienti assuefiant pulveri tabaci » [4].

« Usus tabaci qualiscumque Nostris prohibetur » [5].

« E' vietato in modo assoluto il fumare. Il fiutare tabacco è tollerato nei limiti da stabilirsi dal Superiore secondo il consiglio del medico » [6].

« A tabaci fumo vel pulvere omnino se abstineant sine licentia Superioris maioris, qui eam concedere non poterit nisi ex legitima causa bene comprobbata » [7].

« On n'amettra point eux qui, ayant l'habitude du tabac, ne peuvent s'en passer » [8]. « Les fautes contre les vertus votales, les familiarités imprudentes... l'usage du tabac à fumer... sont motifs de refus » [9].

« Superior numquam permittere poterit ut quis in cellula quidquam habeat sibi proprium, veluti linteamina, cocolatum, liquores, fructuum confectiones, *tabacum*, aut quid simile. Si quis his indigeat, Superior provideat per administrum ad hoc praepositum » [10].

---

[2] *Constitutiones Societatis Divini Salvatoris*, n. 43.

[3] *Const. Missionariorum a Spiritu Sancto*, n. 119.

[4] *Constitutiones et Regulae Congregationis Sacerdotum sub titulo Sanctissimi Redemptoris*, n. 487.

[5] *Const. Societatis Verbi Divini*, n. 169, 2°.

[6] *Regolamenti dei Salesiani di D. Bosco*, art. 12.

[7] *Const. pro Missionariis Congregationis Filiorum Immaculati Cordis B. M. V.* (Claretiani), Pars II, n. 3.

[8] *Règle du Gouvernement de l' Istitut des Frères des Écoles Chrétiennes*. chap. I, n. 14.

[9] *Ib.* chap. V, n. 9.

[10] *Const. et Regulae Congregationis Oblatorum Ssmae. et Immaculatae Virginis Mariae*, num. 206-207.

« E' vietato pure di fumare, essendo cosa opposta così allo spirito di mortificazione come alla povertà professata; non si fiuti neppure tabacco » [11].

« Non usino tabacco nè liquori » [12].

Et haec pro scopo nostro sufficiant.

4. *Sensus et criteria S. Congregationis circa usum tabaci.* — Vestigia Instructionis prementes, distinguimus inter criteria pro omnibus indistincte religiosis data, criteria data pro Religionibus penes quas usus tabaci proscribitur aut strictis conditionibus subicitur et criteria pro Religionibus in quibus usus tabaci plus minusve permittitur.

1) *Pro omnibus indistincte Religionibus.* — A) Sacra Congregatio, in genere loquendo, rigidum tenere videtur criterium. Sane, Ipsa: « tabaci introductioni, regularum derogationi in ipsius usum, disciplinae hac in re relaxationi... *obsistit* » (n. IV).

Ratio theologica-ascetica in hoc reponenda videtur: quod usus tabaci potius accensetur rebus *superfluis*, cuius utilitas, ut plurimum, nulla est, nisi sit nocivus, cuiusque motivum in sola delectatione sistit quam eo utentes experiuntur. Quod si inter res *superfluas* adnumerandum sit tabacum, consequitur eius usum non bene congruere cum religiosa *paupertate;* neque, si ad delectationem ordinetur(esto non prohibitam iure naturae), valde conformem esse cum religiosa *mortificatione* et abnegatione. Nihil mirum si socialiter in pluribus Civitatibus, maxime autem penes optimos christianos, usus tabaci *publicus* religosorum aegre feratur.

S. Congregatio rationem huius sani rigoris afferre voluit, asceticam quidem, at *positivam* et ex experientia desumptam, cui difficulter proinde contestari poterit: « hae relaxationes, derogationes, permisisones, generatim spiritui religioso, *experientia teste*, non favent, immo faciliter ipsi non leviter nocent » (n. IV).

B) Normam inde practicam eadem S. Congregatio tradit, religiosis applicabilem sive illis qui licite tabaco utuntur sive illis qui in eius usu specialibus normis tenentur: Si Ordinarii locorum clericis speciales normas pro tabaci usu, praesertim publico, dederint, « Superiores curare omnibus modis debent ut sancte ac fidelissime a religiosis, ceterisque qui evangelicam perfectionem sectantur, pro illorum publica professione sanctitatis, admussim observentur ». Sane, fideles, plus a religiosis in ratione perfectionis et morum austeritatis exigere solent quam a clericis saecularibus. Quod valde con-

---

[11] *Cost. della Congr. dei Fratelli Ospitalieri Figli dell' Immacolata Concezione* (Concettini), n. 266.

[12] *Cost. della Compagnia di S. Paolo* (Paolini, Institutum saeculare, n. 64.

gruit cum publica perfectionis professione, quam hic opportune revocat S. Congregatio; quia, etsi saeculares sacerdotes ad eandem, immo maiorem perfectionem quam simplices religiosi *laici* teneantur, magnopere tamen oportet ut religiosi *omnes* illa media,, pro eorum statu ac disciplina, adhibeant quae sacerdotibus intuitu perfectionis status et christiani populi aedificationis praescribuntur; proprium est enim status religiosi, abundantiora et efficaciora semper media adhibere ad evangelicam perfectionem prosequendam.

2) *Pro Relgionibus penes quas usus tabaci proscribitur vel strictis conditionibus subicitur.* — « ... Haec legitima praescripta sancte servanda et urgenda sunt. Sacra Congregatio illa praescripta ut partem mortificationis observantiaeque regularis ac religiosae in ilis Religionibus ac Societatibus Institutisque saecularibus constituentia iure merito nec sine iustis rationibus, confirmat ac tuetur » (n. I).

A) Procul dubio, usus tabaci sub adspectu theologico-morali est res *in se* indifferens, nec bona nec mala. Quatenus autem indifferens potest esse materia praecepti positivi vel positivae prohibitionis; ita ut, hoc praecepto vel prohibitione adveniente, fiat res positive bona vel positive mala.

B) Iam si rem sub adspectu iuris religiosi consideremus, apud illos religiosos penes quos tabacum legitime prohibetur, eius usus, intra ambitum prohibitionis erit res mala, ea malitia quam legitima praescripta imponant. Iuxta S. Congregationem prohibitio tabaci est *pars observatiae regularis et religiosae.* Inde sequentia principia statui possunt:

a) Huius Regulae vel generalis praecepti infractio, in se, semel aut iterum tantum seu in materia levi, non est maioris gravitatis quam aliae similis rationis Regularum infractiones;

b) horum praescriptorum infractio, absque legitima licentia, raro fiet sine aliqua infractione voti paupertatis, quod quidem sub peccato obligat. Ait P. Goyeneche: « Agedum, usus tabaci in Religionibus, absque positiva conniventia Superiorum, nescio quo pacto, quin votum paupertatis leadatur, aut satlem in satis frequenti discrimine ponatur, admitti valeat. Quod liquidum atque manifestum apparet si quaeramus rationem seu viam qua religiosi fumatores tabacum, nunc temporis carissimum, sibi provideant. Certe non aliter quam ex peculiari marsupio sibi efformato illicitis pecuniae retentionibus, provenientis sive ex propriae industriae vel officii proventibus, sive ex itinerum residuis, sive ex donationibus amicorum vel parentum, etc. Hinc frequentes voti paupertatis infractiones,

quae, saltem ex coalescenti materia, nedum leves, verum etiam graves sensim sine sensu devenire solent » [13].

c) horum prascriptorum infractio gravis fieri potest: *in se*, sive ex frequentia aut habitudine sive ex quantitate tabaci et pecuniae in fumo insumptae; *ex adiunctis*: puta ex *forma publica*, quae auctoritatis despectiva videri poterit; *ex scandalo*, ut si aetate provectus coram iuvenibus, aut in auctoritate constitutus coram subditis tabaco saepe abuterentur;

d) legitimum praescriptum generale constituit materiam obedientiae, et potest a Superioribus imponi singulis religiosis subditis sub gravi praecepto formali in virtute sanctae obedientiae;

e) transgressio huius praecepti erit *gravis*, et contra transgressorem procedi potest ad normam iuris per applicationem gravium sanctionum, non exclusa dimissione a Religione si casus ferat. Planum tamen est, ad impositionem sub gravi praecepto Superiores procedere non debere, nisi cum infractiones ipsae in se vel ex adiunctis, graves sunt (cfr. supra, litt. c) Superiores praeterea attente considerente ius particulare, quia non eodem modo in omnibus Religionibus prohibetur tabacum, neque absque gravissimis causis ad extrema remedia procedere debent.

In confirmationem doctrinae modo expositae, et ut perspiciatur quousque S. Congregatio disciplinam de usu tabaci « confirmet ac tueatur » (n. I), liceat adducere responsiones datas ad dubia cuiusdam Superioris Generalis, in cuius Religione tabaci usus prohibitus est. (*Prot N. 10272/50*).

« A Rev.mo N. N. Congregationis N. N. circa usum et abusum tabaci in praedicta Congregatione sequentia dubia proposita sunt, quibus S. Congregatio respondet prout infra:

1. Dub. - An, omnibus mature perpensis quae proponuntur, in Congregatione N. N. imponi seu confirmari generale praeceptum valeat in conscientia obligans: a quod omnes sodales, Superiores et subditos cogat ad non utendum nec publice nec privatim tabaci fumo; b) quod omnes Superiores liget ad non impendendum in tabaci fumo pro sodalibus Congregationis quodlibet, vel minimum bonum Congregationis; c) quod omnes, subditos et Superiores vetat quodlibet bonum personale, quomodolibet religioso obveniens, in tabaci fumum impendere.

Resp. - Sacra Congregatio, re mature perpensa, ad tria dubia (a, b, c) *affirmative* respondendum censet.

---

[13] Commentarium pro Religiosis et Missionariis, vol. XXV (1946), p. 226-227.

2. Dub. - An praeceptum generale de quo sub n. 1 in casibus particularibus: a) sub gravi etiam imponi valeat; b) et etiam sub voto obedientiae confirmari possit.

Resp. - S. Congregatio respondet: Ad a) *affirmative*, dummodo materia in singulis casibus certe gravis dici valeat *in se* (ex quantitate illicite adhibita seu adhibenda, ex frequentia, ex habitudine, etc.) vel *ex adiuntcis* (ex forma, ex scandalo, etc.). - Ad b) *affirmative* ex doctrina communi et probanda.

3. Dub. - An in casu certae violationis praecepti particularis gravis, etiam sub obedientiae voto obligantis, possit procedi contra transgressores ad normam iuris, adhibitis etiam monitionibus et sanctionibus canonicis.

Resp. - S. Congregatio respondet: *affirmative*, servatis regulis canonicis ».

3) *Pro Religionibus in quibus usus tabaci plus minusve permittitur*. - In Religionibus in quibus permittitur moderatus tabaci usus, huius iuris exercitium ita regulandum est ut detrimentum non capiant: a) *religiosa paupertas*, cum quoad expensas tum quoad dependentiam a Superioribus; b) spiritus *asceticae et religiosae mortificationis*, quae Statuum perfectionis unum ex imis fundamentis constituit; c) *bonum exemplum* seu externorum aedificatio ratione loci, modi, temporis, quod religiosi semper et ubique fidelibus dare debent (n. II). Hae circumstantiae relinqui non debent singulorum arbitrio, sed Superiores possunt ac debent, si opus sit, opportunas normas edere, quibus usus tabaci quoad modum, quantitatem, tempus, locumque moderentur (Ib. n. III et V).

A. Gutiérrez, C. M. F.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DE ACTIONE MISSIONALI DIOECESIUM

A Sua Eccellenza Rev.ma
Monsignor Ludovico G. Kerkofs
Vescovo di LIEGI

Prot. 717/51 - *Roma 20 febbraio 1951.*

Eccellenza Reverendissima

La Sacra Congregazione degli Affari Ecclesiastici Straordinari ha recentemente trasmesso a questo Sacro Dicastero la lettera, che l'E. V. Rev.ma aveva inviato al Santo Padre circa l'opportunità di invitare anche le diocesi europee a contribuire all'invio di personale nel Giappone.

Al riguardo mi reco a premura di significarLe quanto segue:

1) Questa Sacra Congregazione da tempo si è preoccupata della necessità di mandare numerosi missionari nel Giappone e allo scopo ha fatto appello a molti Istituti religiosi missionari per accrescere colà il numero degli operai evangelici. Nel medesimo tempo permise che alcuni sacerdoti australiani vi si potessero recare per un periodo determinato di tempo. Questa misura, però, fu del tutto eccezionale per ragioni ben note a questo Sacro Dicastero.

2) Nè ha dimenticato l'apporto, che potrebbe derivare dalle diocesi europee ed americane. Questo è un problema, che Propaganda ha già risolto da moltissimi anni secondo criteri, che si sono rivelati quanto mai adatti allo scopo. Infatti alla fine del secolo decimosettimo questo Sacro Dicastero promosse l'istituzione del Seminario per le missioni estere di Parigi, che per più di due secoli ha rappresentato nelle missioni, quasi esclusivamente, il clero secolare europeo. Nel secolo scorso, specialmente in Francia, in Italia e in Spagna, e ai primi di questo secolo in varie altre nazioni sono sorti diversi Istituti missionari senza voti, al cui sviluppo Propaganda ha tenuto dietro con particolare cura. Attualmente detti Isti-

tuti sono in numero di tredici, sparsi un pò ovunque, ai quali è necessario aggiungere qualche altra opera del genere, ancora ai suoi inizi, come nel Belgio.

3) Questi Istituti sono stati eretti e promossi da Propaganda proprio con lo scopo di regolare e orientare quei movimenti missionari, che sia nel passato come al presente si sono manifestati in molte diocesi. Infatti le costituzioni date ai suddetti Istituti conservano in pieno il carattere di sacerdoti secolari ai membri dei medesimi e l'organizzazione ad essi data serve unicamente per assicurare una adeguata preparazione dei futuri missionari, che non potrebbero ricevere nelle proprie diocesi; e per garantire la continuità del lavoro missionario con un invio periodico di nuovi operai. Questi due grandi vantaggi, che l'esperienza ormai secolare di Propaganda ritiene essenziali per l'avvenire del lavoro missionario in mezzo a popoli tanto diversi e lontani, non si possono ottenere con un invio di sacerdoti diocesani, che riflette piuttosto situazioni contingenti. Ciò è confermato dal fatto che in genere questi sacerdoti, i quali certamente dovrebbero essere tra i migliori, preferiscono assumersi un impegno missionario temporaneo di pochi anni, non pensando che l'addestramento ad un proficuo lavoro di apostolato, specialmente poi nel Giappone, richiede già di per sè vari anni di immediata preparazione.

4) Questa prassi di Propaganda, quindi, non è contraria ai movimenti missionari delle diocesi, ma su di essi ripone le migliori speranze, perchè le medesime diocesi forniscano numerose vocazioni di sacerdoti e di cooperatori sia agli Istituti missionari secolari, sia a tutte le altre Congregazioni missionarie.

E' chiaro, però, che il lavoro apostolico dei missionari esteri tende naturalmente alla formazione del clero nativo, che costituisce il fondamento delle nuove Chiese missionarie.

Pertanto, mentre Le esprimo la mia gratitudine per lo zelo mostrato in favore della causa missinaria, La prego accettare i sensi del mio profondo rispetto confermandomi

dell'E. V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
Pietro Card. Fumasoni Biondi, Prefetto
+ Celso Costantini, Segretario

ADNOTATIONES

ANTECEDENTIA.

Priore numero vertentis anni ephemeridis, cui titulus *Bulletin de l'Union Missionnaire du Clergé* quidam Professor edidit articulum circa L'*avenir chrétien du Japon* (pp. 6-10), quo in memoriam revocantur quae S. C. de Prop. Fide gesserit statim post absolutum bellum ad illas missiones adiuvandas. Supradicta Sacra Congregatio per litteras rogavit plures Superiores Generales Institutorum missionalium ut frequentiores evangelii praecones in Japoniam mitterent.

Cum, praesertim nunc temporis, fere omnia missionum territoria sufficienti missionariorum numero careant, quidam sacerdotes proposuerunt ut clerici e clero saeculari, quin amitterent incardinationem suae dioecesi, possent petere missiones ibique sacrum ministerium exercere per aliquod tempus, e. gr. per tres vel per sex annos, ac dein in patriam revertere. Immo postularunt ut Sacra Congregatio de Propaganda Fide alicui dioecesi Ecclesiae iuris communis committeret quandam circumscriptionem ecclesiasticam missionalem, data Ordinario illius dioecesis facultate mittendi sacerdotes, sibi subditos, atque subsidia ad opera missionalia sustentanda erogandi. De qua propositione acriter disputatum est et alii aliam sententiam protulerunt. [1]

Quo omnes clarius cognoscerent praxim Sacrae Congregationis de Propaganda Fide circa vexatam quaestionem dioecesium missionalium, eadem S. C. de Prop. Fide opportunum censuit mentem suam aperire per epistolam missam mense februario vertentis anni 1951 ad Exc.mum Episcopum Leodiensem.

---

[1] In articulo, cui titulus: *Le diocesi e le Missioni*, a me edito in ephemeride *Clero e Missioni*, Roma, 4 (1951) p. 45, quae sequuntur, scripsi: La *Rivista Missionaria* dell'Unione Missionaria in Italia nell'annata 1938, pp. 163-165, pubblicò un articolo del Sac. Pietro Scavizzi il quale proponeva che le nostre diocesi assumessero a proprio carico una missione. L'articolo fu accolto da consensi e dissensi, che la *Rivista Missionaria* riportò a pp. 215-217; 250-255. La discussione, però, fu troncata *ex abrupto*, come è facile dedurre da quanto si legge a pag. 122 della medesima *Rivista Missionaria* dell'anno 1939. Nella Spagna da alcuni anni essa è stata ripresa nella diocesi di Vitoria e in poche altre. Recentemente il P. Paolo Manna ha pubblicato un opuscoletto dal titolo *Le nostre Chiese e la propagazione del Vangelo*, Trentola-Ducenta, 1950, in cui discute di nuovo l'idea dello Scavizzi e la pone in rapporto alla erezione del Seminario Lombardo per le Missioni Estere.

« Qua e là ogni tanto sono presentate idee del genere e le ragioni, addotte in favore, sono quasi sempre le medesime ».

NOSTRAE DIOECESES ET MISSIONES.

Omnibus compertum sane est christifidelibus incumbere onus adiuvandi missiones. Cum, vero, praesertim post conditam S. C. de Prop. Fide, missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae reservata sit (can. 1350 § 2), necesse est ut christifideles ac praecipue clerici et episcopi vocationes missionales et auxilia praestent operi evangelizationis secundum normas statutas al eadem Sancta Sede ne vires dissipentur neve ipsum ministerium apostolicum ullum detrimentum capiat.

Secundum praxim, constanter adhibitam a supradicta S. C. de Prop. Fide, omnes dioeceses et quasi-dioeceses missionales concreditae sunt vel clero indigenae vel alicuius Instituti missionalis Patrum curis. Nulla commissa alicui dioecesi iuris communis. Historia missionum nos docet paucos in casibus Sacram Congreg. de Prop. Fide recessisse ab hac norma, sed magno cum detrimento operis missionalis.

Quae praxis nullimode impedit quominus nostrae dioeceses omni studio et amore prosequantur missiones excitando vocationes missionales inter pueros et juvenes et corrogando pecuniam. Hoc sensu nostrae dioeceses sint missionales. Sacra Congr. de Prop. Fide improbat quod aliquod territorium missionale committatur alicui dioecesi. Secundum novam praxim Episcopus dioecesis posset libere mittere suos sacerdotes in missionis territorium et post statuta quorundam annorum tempora revocare; sacerdotes servarent incardinationem propriae dioecesi. Hoc moto, secundum fautores novae praxis, motus missionalis ipsius dioecesis maiores fructus produceret.

Facile est discernere quod inter utramque praxim intersit. Sacra Congregatio exigit ut nostrae dioeceses sine ulla condicione in manibus eius ponant sacerdotes et media pecuniaria per Ordines, Congregationes, Societates, quibus concreditae iam sunt missiones, atque valde exoptat ut alia Instituta missionalia erigantur, quarum membra vota status religiosi non emittant ac proinde inter sacerdotes cleri saecularis adnumerentur.

COMMODA PRAXIS ROMANAE.

Licet vocatio missionalis specie non differat a vocatione sacerdotali [2], tamen missionarius necesse est ut peculiaribus virtutibus ingenii et animi instructus sit. Opus missionale ad Ecclesiam

[2] S. PAVENTI, *La chiesa Missionaria. Manuale di missionologia dottrinale*, Roma 1949, pp. 311-314. Plura exponuntur circa institutionem moralem et intellectualem missionarii.

plantandam inter gentiles arduum sane est atque molestum et insuper ut finem attingat continenter est absolvendum et saepissime per plures annos. Quae omnia clare edicuntur in n. 3 epistolae Sacrae Congregationis de Prop. Fide et fusius comprobantur documentis asservatis in archivo eiusdem Sacrae Congregationis.

Nunc, vero, quaenam dioecesis potest, ita instruere sacerdotes ut optimi missionarii evadant? Rerum adiuncta ratione et usu apprime cognoscens, Dicasterium missionis aliter sentit atque omnem fiduciam collocat in Institutis missionalibus.

Praescripta iuris canonici.

Praxis S. C. de Prop. Fide congruit cum praescriptis canonis 252 § 1: « Congregatio de Propaganda Fide missionibus ad praedicandum Evangelium et catholicam doctrinam praeest, ministros necessarios constituit et mutat, facultatemque habet tractandi, agendi et exsequendi omnia hac in re necessaria et opportuna ». Quae praescripta confirmantur verbis can. 1350: « § 1. Ordinarii locorum et parochi acatholicos in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant. § 2. In aliis territoriis universa missionum cura apud acatholicos Sedi Apostolicae reservatur ».

Verba canonum, de quibus supra, clare indigitant opus missionale exercendum esse secundum normas statutas ab ipsa Sancta Sede, quae nullimode incepta fidelium et dioecesium negligit.

Incommoda rationis dioecesium missionalium.

Nunc transeamus ad exponenda incommoda, quae facile obvenire queunt ex ratione dioecesium missionalium.

a) *In regimine missionum.*

Si quod missionum territorium daretur dioecesi, ex. gr. Europae vel Americae, iurisdictio illius episcopi aliquo modo extenderetur ultra limites eius competentiae. Cum, vero, una dioecesis raro par esset absolvendo operi apostolico in quodam missionali territorio, plures forsan episcopi deberent mittere sacerdotes, sibi subditos in idem territorium. Hoc in casu difficile certo haberi potest concordia necessaria ad fovenda varia missionalia opera.

Insuper missionarii, servantes incardinationem suae dioecesi, non plene dependerent ab Ordinario missionum. Quamobrem exsurgere facile possunt dissimilitudines inter Ordinarium missionum et Ordinarium in Europa vel America quoad reditum, nominationes missionariorum et alia huiusmodi. Praeterea de incerto statu iuridico utilitatem saepe percipere queunt clerici, qui ob humanas rationes in missionum territoria proficisci exoptant.

b) *In opere missionali promovendo.*

Sacerdotes e dioecesibus missionalibus ad tempus solummodo adlaborare cupiunt in missionibus, quibus proinde sunt iuvenes, de recta methodo missionologica fere imperiti. Insuper praesertim in quibusdam territoriis post longum studium addiscere possunt linguam et cognoscere usus et consuetudines gentis. Quando capaces evadunt incipiendi aliquod opus missionale vel in eodem cum fructu operam impendendi, redeunt in patriam.

Opus missionale est arduum et generatim absolvitur post plures annos et exigit milites perfecte planeque instructos atque profundo amore sacrificii imbutos.

c) *In institutione missionariorum.*

Sancta Sedes et omnes missionologi semper edixerunt missionarios egere peculiari institutione doctrinali, morali et spirituali. In seminariis dioecesanis efformantur sacerdotes ad curam animarum in paroeciis suscipiendam, non vero ad arripiendum apostolatum inter gentiles. Via ad praedicandum Evangelium inter infideles imperitis clausa est. Qua ratione suffulta, S. C. de Prop. Fide exigit ut omnes evangelii praecones in Institutis missionalibus efformentur et instituantur.

d) *In ratione distribuendi subsidia et mittendi missionarios.*

Dioeceses missionales non favent iustae et aequae rationi distribuendi subsidia et mittendi missionarios. Si dioecesis missionalis abundat pecunia et plures sacerdotes offerre potest suae, ut ita dicam, missioni, plurimum in excolenda sua vinea pollet, cum detrimento ceterarum missionum.

Pecuniae corrogatae pro missionibus non effuse affluunt in arcam Pontificalium Operum Missionalium et missionariorum numerus in dies imminuitur. Qua de causa Sanctae Sedis officium gravissimum est aequa lance subsidia distribuere et missionarios mittere.

e) *In excitando amore pro missionibus inter fideles.*

Secundum normas statutas a Sancta Sede fideles adiuvare debent omnes missiones. Missio particularis potest petere subsidia, quin detrimentum afferat Pontificalibus Operibus Missionalibus. Ratione dioecesis missionalis fideles excitantur potius ad adiuvandam particularem missionem.

Fautores, vero, novae praxis alte praedicant quod in fidelibus et sacerdotibus excitari ardentius studium erga missiones. Quod non omnino est verum. Fideles, licet docti, de distinctionibus iuridicis non cogitant cum sentiunt in corde obligationem adiuvandi missiones. Clerici, e contra, debent animo volenti sequi normas

statutas a Sancta Sede et modum agendi hac in re referre ad praxim adhibitam a S. C. de Prop. Fide.

Conclusio.

Ut adnotationibus in epistolam S. C. de Prop. Fide modum imponamus, benevolum lectorem rogo ut diligenter postrema verba eiusdem epistolae perpendat, quibus motus missionales dioecesium nullo modo reprobantur immo valde necessarii sunt ad opus evangelizationis promovendum dummodo pariter procedant cum praxi Sacri Dicasterii missionum.

Xaverius Paventi.

S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO PRO POSTULANDIS APOSTOLICIS INDULTIS ORATORII DOMESTICI, ALTARIS PORTATILIS, LITANDI MISSAM SINE MINISTRO ET ASSERVANDAE SS. EUCHARISTIAE IN PRIVATIS SACELLIS.

ADNOTATIONES

§ 3. *Disciplina privati sacelli sub regimine S. Congregationis de disciplina Sacramentorum* [1].

1. Constitutio « *Sapienti consilio* » [2], unde ortum duxit S. Congregatio de Sacramentis, praeter cetera eidem potestatem contulit concedendi facultates « *celebrandi Sacrum in sacellis privatis et cetera largiendi privilegia, quae in hac re concedi solenti...* » [3].

Quam facultatem ad ipsam privatice spectantem recognovit sanxitque Codex J. C. canone 249 § 1 et 2, incolumi iure Sacrae Rituum Congregationis, quod attinet dumtaxat ad ritus et caeremonias, quae Missae celebrationem moderantur in domesticis sacellis. Prout liquet, facultas huiusmodi Sacrae Congregationi de Sacramentis facta ambitum non ingreditur competentiae Sacrae Congr.nis negotiis religiosorum sodalium praepositae; Sacrae Congr.nis de Prop. Fide et Sacrae Congr.nis pro Ecclesia Orientali pro suis cuiusque subditis (can. 251; 252; 257).

Certo igitur inde a Const. *Sapiendi consilio* revocata censeri debet facultas, qua anteactis temporibus fruebantur *ordinarie* Secretaria Brevium et Sacra C. Concilii, et *extraordinarie* S. Rituum Congregatio: unum tamen statuere placuit praefatae Costitutioni ut nempe, quoties privati oratorii indultum foret expediendum per Breve, ad vitam scilicet indultarii, istud confici deberet per specialem Sectionem officii Secretariae Status, tunc primum institutam, *Cancellariam Brevium Apostolicorum* nuncupatam, quae veteri Secretariae Brevium suffecta fuit, quaeque est tertia pars Officii Secretariae Status (Const. « *Sapienti consilio* », § III, n. 4°; can. 263). Exinde igitur S. Congregatio de Sacramentis pleno fruebatur iure rescriptum conficiendi cum extensionibus et clausulis,

---

[1] Cfr. *Monit. Eccl.*, LXXV, fascic. primus, p. 35 ss.

[2] 29 iunii 1008 § 1, n. 3.

[3] Ibi, *Ordo servandus* etc., 29 sept. 1908, Pars III, Normae pecul., cap. I n. 1 c; cap. VII, art. III, n. 10°-12°.

quas sibi in unoquoque casu praestituere censuisset, illudque inittendi ad praefatam Brevium Cancellariam ut indultum in forma Brevis exararet et expediret, indeque insuper percepta taxa iuxta ipsius regulas determinanda.

Re autem vera eadem Sacra Congregatio, quo accuratius disciplinam domesticorum sacellorum moderaretur, ad usum sibi proprium die 7 februarii 1909 quasdam naviter conficiendas regulas curavit, quae ita appellabantur ». *Normae pro ordinariis concessionibus oratorii privati eiusque extensionum* », quae publici iuris nunquam factae sunt. Hae tamen, prout usuvenit, decursu temporis haud multo post locorum Ordinariis imos fuerunt ex tenore Brevium receptorum.

2. Vi huius documenti, prout in eodem cavebatur:

a) privata oratoria haud indulgebantur nisi *iusta causa* allegaretur, v. g. infirmitas, grave incommodum adeundi publicam publicam ecclesiam, specialis benemerentia erga Sanctam Sedem aut religionem et aliae huiusmodi;

b) privata sacella ad tempus aut ad indultariorum vitam concedebantur iuxta naturam causae allegatae: utroque casu simplex oratorii concessio secumferebat: a') unicitatem Missae litandae; b') praecepti festivi satisfactionem pro solis indultariis, cum exclusione *duodecim* dierum sollemniorum (quot nempe tunc recensebantur) et *quatuor* pro Gallia: c') designationem loci, urbis aut dioecesis ubi oratorium erat ad normam precum erigendum.

Rescripti formula atque consequentis expeditionis Brevis erat de more Ordinarii commissoria.

3. Quod attinet ad oratorii domestici *extensiones*, hae, prout sequitur describebantur:

A. *Quoad praecepti festivi satisfactionem:*

Ordinarie concedebatur *tempore indulti* et solum ad sequentes personas:

a) *consanguineos aut affines cohabitantes*, et etiam, licet *non cohabitantes*, sub eodem tecto *commorantes;*

b) *familiares* (famulos);

c) *hospites* aut *commensales;*

d) *commorantes sub eodem tecto*, unico casu absentiae aut distantiae a publica ecclesia;

e) *colonos* et fundo *addictos* pro oratoriis ruri sitis. Tunc obligatio indultario iniungebatur ut catechetica instructio aut Evangelii explicatio traderetur;

f) *omnes commorantes* in castro aut magna possesione, cum praefato onere;

g) *omnes adstantes:* tantummoodo sub omnino extraordinariis religiosis aut politicis adiunctis, et concessionis tempus determinandum linquendo prudenti Ordinarii arbitrio.

B. *Quoad Missam in absentia indultariorum litandam:*
Concedebatur solummodo:

a) *uni ex consanguineis* aut *affinibus* cohabitantibus, aut sub eodem tecto commorantibus, cui iam indultum extensum erat quoad praeceptum festivum. Dabatur unice *in precaria absentia* primorum indultariorum, et uni personae inter consanguineos et affines determinandae;

b) *cuidam praeposito familiaribus, colonis aut fundo addictis*, iugiter *in absentia precaria* indultarii, et casu quo iisdem iam extensum esset indultum quoad festivum praeceptum.

C. *Quoad Missarum numerum:*

a) Duobus aut pluribus fratribus presbyteris indultariis concedebatur facultas celebrandi suam Missam;

b) altera Missa concedebatur in gratiarum actionem, praevia speciali Ordinarii commendatione [4];

c) pro sacerdotibus hospitibus indulgebatur S. Missae celebratio in privato oratorio familiae penes quam reperiebantur, praevia Ordinarii commendatione, *ruri tantum*, aut casu adversae valetudinis aut distantiae ab ecclesia;

d) *in agonia, in obitu praesente cadavere, in anniversaria die obitus* unius ex indultariis, *die Sancti titularis oratorii, die onomastica indultarii* indulgeri solebant plures Missae, de more tres [5].

D. *Quoad dies sollemniores.*

a) extensio ad sollemniores dies indulgebatur iugiter exclusis quatuor sequentibus: civitatis vel loci Sancti Patroni; Assumptionis B. M. V; Nativitatis D. N. I. C. atque Paschatis Resurrectionis D. N. I C.;

b) impetrata praecedenti extensione, concedebantur multo rarius tres exclusi dies: Sancti Patroni; Assumptionis et Nativitatis;

---

[4] Haec tamen extensio, quae verius habenda est uti Episcoporum privilegium, serius abolita est.

[5] Inde a mense iulio 1931 vetita fuit in posterum ista extensio trium Missarum in obitu indultariorum, in agonia eorundem et in die obitus anniversaria.

Missam domi « praesente cadavere » sensu valde stricto moderata est S. Congregatio in una « *Romana et aliarum* » (AAS. vol. XVII. p. 388 seq.) quae adhuc integrum servat suum vigorem.

c) dies Paschatis raro concedebatur praecedentibus impetratis extensionibus praeviaque specialissima Ordinarii commendatione, exceptis indultariis presbyteris morbo affectis.

E. *Dioeceses.*

Oratorium etiam duabus dioecesibus; et si postulabatur eius extensio ad alteram diocesim, huius Ordinarii testimoniales litterae exigebantur.

Utroque casu gratia in forma gratiosa concedebatur, firmis manentibus suetis clausulis quoad Ordinarios.

F. *Casu quo parochus Missam iteraret.*

Dabatur facultas celebrandi in privato sacello, dummodo presbyter in eodem litans MMissam non iteraret, atque vocaretur extra locum in quo parochus duas Missas celebrare debebat.

G. *Oratorium prope cubiculum.*

Dabatur infirmitatis causa eaque permanente.

H. *Facultas concedendi oratoria privata Ordinariis facta.*

Concedebantur 10 casus pro sacerdotibus senio aut infirmitate detentis, dummodo pauperes exstarent.

4. Porro iam ab ipsa enunciatione causarum, quae tamquam idoneae a S. Congregatione habebantur ad privata sacella impetranda, quisque animadhvertere poterat periculum amplam sternendi viam abnormi istorum indultorum numero, nisi locorum Ordinarii domestici oratorii postulationes intra honestos limites coërcere niterentur.

Eorum proinde prudentis consilii erat, priusquam oratorii preces susciperent et commendatas ad Apostolicam Sedem mitterent, praeter quamdam ex memoratis canonicis causis, rite perpendere et alius generis adiuncta omnia in unoquoque casu concurrentia: quae quidem adiuncta communiter contingentia plerumque excedere debebant, immo de more extraordinaria evadere atque consistere in personarum spectatis moribus, religionis sincera professione, christianarum virtutum conspicuo nitore et similia: adeo ut reapse longe ceteros antecellerent et in publica populi aestimatione passim oratores mererentur prae aliis fidelibus tanto privilegio honestari.

Si enim una dumtaxat quaelibet ex recensitis causis: puta, oratoris infirmitas aut eius habitationis distantia ab ecclesia etc., unice sufficere visa esset, ceteris posthabitis enunciatis peculiaribus adiunctis quoad oratoris egregia merita, ad hanc singularem gratiam, accedente Ordinarii commendatione, impetrandam, quamvis ceterum idem orator communi frueretur morum integritate, religionis-

que professione, profecto indulta huiusmodi propemodum in infinitum multiplicata, etiam in una eademque diocesi, in omnium oculis viluissent abusibusque non paucis nec levibus ansam praebuissent.

Id eo magis est affirmandum si spectentur aemulationes, quas id genus spiritualium favorum solet excitare inter primarias familias, aut quae ad primarias evehi moliuntur, alicuius loci, praesertim si mos facile impetrandi domestica sacella alicubi invaluisset.

Re autem vera, experientia teste, oratorum instantes, crebrae et quandoque pertinaces preces eo processerunt, ut haec indulta facile abundeque consequerentur: quapropter illorum copia, aequos praetergressa limites, immodice succrevit et nefasta peperit consectaria etiam in una aedemque diocesi.

Ad hanc igitur immodicam refrenandam indultorum frequentiam maiori rigore opus erat praesertim in causarum determinatione, quae habiles haberentur ad ista indulta impetranda, unde locorum Ordinarii severiorem normam sumere deberent in precibus suscipiendis iisque commendatis tradendis ad Sedem Apostolicam.

5. Huic nimiae privilegii amplificationi cum deploratis consectariis alterum suppeditabat fomitem *natura causae*, quae passim adducebatur: proinde recensitas causas ad trutinam revocare opportunum S. Congregationi visum est.

Ita: v. g. quod attinet *ad infirmitatem*, aequum animadvertere placuit non qualemcumque corporis aegritudinem sufficere per se ad indulgendum, etsi idirco per notabile tempus orator ab ecclesia adeunda prohiberetur; sed *gravem* intercedere debere corporalem morbum, de cuius exsistentia ac gravitate certo constaret, eamque verisimiliter aliquandiu diuturnam praevideri; idque eo magis statuere convenit quia oratorii concessio postulabatur de more pro tota indultarii vita, et quia non urgebat in casu praeceptum de audiendo sacro diebus festis de praecepto, quia ab eodem infirmus iure merito dispensatus habebatur ob grave incommodum accedendi ad ecclesiam.

Una igitur spiritualis angustia aegroti procedens ex privatione Missae, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, plerumque haud sufficiens causa visa fuit ut oratorii concessio fieret, nisi eadem ad tempus praefatae infirmitatis dumtaxat, ut plurimum, coarctaretur.

6. Ast et *grave incommodum adeundi publicam ecclesiam*, quod altera idonea agnoscebatur causa ad implorandum indultum, aequiore examine perpendere placuit ad praecavendos excessus. Idque potiori iure urgebatur spectato commodiore viarum statu nostri temporis in genere prae tempore elapso, atque usu late invecto au-

tomatariae rhedae (italice: *automobile*), qua plerumque hodie potiuntur horum indultorum studiosi fideles etiam mediocris oeconomicae conditionis: quare hodie merito dici debet molestiam olim propositam promanantem a locorum distantia, itinerum difficultate, viarum asperitate et aliis huiusmodi, quae a veteribus canonistis passim adducebantur quasi totidem causae habiles ad implorandum indultum, aut penitus evanuisse aut valde esse imminutam.

Istius tamen causae aestimatio (rite animadvertatur), non absolute ut saepe eveniebat superioribus temporibus, sed relative seu *in concreto* librari oportere visa est, inspectis nempe adiunctis in singulis casibus occurrentibus: igitur incommodum publicam ecclesiam adeundi practice dimetiri debere a difficultatibus omne genus in precibus adductis simul sumptis: scil. viarum asperitate, vehiculorum carentia, locorum distantia praesertim in locis asperis et montanis etc. adeo ut reapse moletsia pro adeunda ecclesia ad praecepti satisfactionem *gravis* agnoscatur.

1. Sed et causa *specialis benemerentiae oratorum erga Ecclesiam aut religionem* declaratione et explanatione artiore sensu exarata indigebat.

Saepe enim in precibus pro privato sacello ad S. Congregationem datis oratores perhibebantur generice tantum de Ecclesia aut religione bene meriti; quandoque haec benemerentia coarctabatur ad aliquod non bene descriptum adiumentum pecunia, aut opera aut consilio praestitum alicui instituto religioso; aut ad quamdam non satis designatam stipis collationem pro quadam ecclesiae fundatione vel paroeciae aut beneficii dotatione, aut pro seminario etc.

Ista nimis vaga benemerentiae enunciatio non sinebat recte perpendere momentum et vim tum praestitae operae, tum collati consilii, tum stipis erogatae, adeo ut ambigeretur utrum eorum auctores invenirentur tanto privilegio digni necne; et anceps S. Congregationis de sufficientia istius causae iudicium nonnunquam studium et flagitationes oratorum, Ordinariis assentientibus, ad indulgendum flectebant, quin simul, uti liquet, et alter uber nimiae liberalitatis praecluderetur fons.

Hinc oportebat ut regulae et notae quoad usum suppeditarentur in posterum ad hanc perpendendam *specialem benemerentiam;* scil. decernendum erat in quibusnam elementis consistere et quibus conditionibus praedita esse deberet ut *perspicuitatis notam* vere attingeret, unde eius auctores merentur domestico sacello insigniri.

8. Causae vero a « *Normis* » descriptae non taxativae sed indicativae tantum erant: proinde et aliae expresse admittebantur ibi recensitis *similes*, generica enunciatione designatae, uti aptae ad indultum implorandum.

At, spectata hac vaga causarum similium indicatione, id acci-

debat ut a nonnullis unice allegarentur prorsus inanes vel fucatae causarum species.

Ita quidem indultum privati oratorii exposcebant hac dumtaxat ratione permoti *quia eorum maiores eodem privilegio fruebantur;* alii hac sola de causa *quia aut villam aut palatium emerant cappella instructum*, quae aliquando erat etiam sat praeclara et fabre facta; alii prae se ferebant uti titulum ad sacellum aut *vitae christianae integritatem*, aut *morum probitatem*, aut *eorundem in Deum pietatem explendam;* alii demum *generis nobilitatem* aut *quasi-nobilitatem.*

Harum causarum allegatio profecto S. Congregationem haud determinabat ad gratiam indulgendam, eam tamen adigebat ad rescribendum locorum Ordinariis allegatas causas ineptas prorsus esse ad propositum finem et ut aut alias producerent, si quae in singulis casibus idoneae suppeterent; aut, in istarum inopia, oratores a proposito dimoverent. Id tamen, prae oculis habita istorum negotiorum copia in dies succrescente, improbum sane onus S. Dicasterio comparabat.

Caesar Zerba

CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

NORME PER GLI ECCLESIASTICI CHE SI ISCRIVONO ALLE UNIVERSITA' STATALI

1. Gli Ecclesiastici che, col permesso esplicito del loro Ordinario, intendono compiere in Italia gli Studi universitari debbono iscriversi nelle Facoltà dell'Università Cattolica del Sacro Cuore quando la disciplina prescelta è fra quelle che vengono in essa insegnate.

2. Quando l'Ordinario dispone che un Suo Sacerdote compia Studi superiori che presso l'Università Cattolica del S. Cuore non hanno corrispondente Facoltà, Egli può liberamente autorizzarne l'iscrizione ad una Università statale espressamente determinata, previe le provvidenze opportune a salvaguardare il bene spirituale dell'alunno.

3. Se per gravi motivi l'Ordinario non fosse in grado di osservare il disposto del primo numero di queste Norme, non potrà permettere l'iscrizione a qualsiasi Università statale se non dopo aver ottenuto, caso per caso, speciale indulto da questa Sacra Congregazione.

4. Nessun Ecclesiastico potrà essere inviato a tali Università se non è già Sacerdote, se non ha compiuto lodevolmente il regolare corso di studi filosofico-teologico, se non è fornito di particolari doti d'ingegno e di volontà, se, soprattutto, non possieda in grado distinto lo spirito di pietà e le virtù proprie dello stato ecclesiastico.

5. Gli Ordinari, nell'inviare i loro Sacerdoti alle Università, abbiano come scopo quello di provvedere alle necessità e utilità delle proprie Diocesi.

6. I Sacerdoti che frequentano l'Università dovranno dimorare, durante il periodo degli studi in un Convitto Ecclesiastico o in una casa Religiosa debitamente autorizzati, o, in mancanza dell'uno e dell'altra, presso qualche buon Sacerdote designato dall'Ordinario del luogo.

7. Se l'Università è fuori della propria Diocesi, l'Ordinario raccomanderà il suo Sacerdote al Vescovo del luogo, col quale prenderà gli opportuni accordi per la dimora. Il Sacerdote studente

si presenterà al Vescovo della Diocesi ove ha sede l'Università e sarà a lui soggetto, oltre che al proprio Ordinario, durante la sua permanenza nella Diocesi stessa.

8. I Sacerdoti studenti non sono affatto esentati dagli esami prescritti dal Codice di Diritto Canonico (can. 130 e 590).

9. Gli Ordinari procureranno che durante gli studi gli Ecclesiastici universitari non solo non trascurino le pratiche di pietà, ma intensifichino la loro vita spirituale, anche in vista dei maggiori pericoli cui sono esposti.

10. I Vescovi di Diocesi in cui si trovano Università curino di istituire, quando riesca loro possibile, un'Associazione per gli Universitari Ecclesiastici, affidando ad un Sacerdote particolarmente idoneo l'ufficio di Assistente e promovendo opportune adunanze di carattere religioso e scientifico.

11. I Sacerdoti studenti non daranno il proprio nome ad associazioni studentesche; eviteranno altresì di prendere parte a circoli e manifestazioni che siano in contrasto con la dignità sacerdotale.

12. Qualora un Sacerdote, nonostante le cautele su accennate, tenesse una condotta aliena dallo spirito ecclesiastico, sarà cura del suo Vescovo di richiamarlo e non permettergli più oltre la frequenza dell'Università.

13. Terminati gli studi, i Sacerdoti rimarranno sotto la piena giurisdizione del proprio Ordinario, e perciò non sarà loro lecito assumere incarichi o uffici civili senza l'espresso consenso dell'Ordinario medesimo, come è già stato dichiarato dai competenti Sacri Dicasteri.

Le medesime Norme valgono, analogamente, anche per i Religiosi e le Religiose, dipendendo essi pure tutti da questo Sacro Dicastero per quanto si riferisce agli Studi Superiori.

Roma, Ognissanti del 1950.

Il Prefetto

+ Giuseppe Card. Pizzardo

Il Segretario

† Carlo Confalonieri

NORME PER I SACERDOTI INVIATI AI PONTIFICI ATENEI ROMANI

1. Nessun Sacerdote può dimorare in Roma per ragioni di studio, se non è ospite in uno dei Seminari o Collegi o Convitti Ecclesiastici riconosciuti da questo Sacro Dicastero.

2. Gli Ordinari, prima di permettere che i Sacerdoti della loro

Diocesi si rechino a Roma per ragioni di studio, si assicurino che questi possano essere ospitati in uno di tali Istituti.

A questo scopo abbiano cura di rivolgere direttamente domanda, in tempo utile, al Superiore dell'Istituto presso il quale desiderano che i loro Sacerdoti siano ospitati, e ne attendano la risposta prima di concedere il permesso di assentarsi dalla Diocesi per recarsi a Roma.

3. Gli Ordinari sono pregati di assicurarsi che i suddetti Sacerdoti dispongano di mezzi sufficienti a sostenere le spese occorrenti per la loro permanenza in Roma, e di ciò diano garanzia nella domanda di cui sopra.

4. I medesimi Sacerdoti dovranno essere muniti del « discessit » del proprio Ordinario, che presenteranno al Superiore dell'Istituto che li ha accettati. Si provvederanno poi del prescritto « celebret » del Vicariato di Roma.

5. Le domande di iscrizione alle Facoltà degli Atenei Pontifici debbono essere presentate, in tempo alle rispettive Segreterie, direttamente, senza l'intervento di questo Sacro Dicastero.

6. Tali domande dovranno essere accompagnate da un documento del Superiore dell'Istituto presso cui lo studente prende dimora, nel quale si dichiari che l'alunno stesso vi è accolto con esplicito permesso del suo Ordinario.

7. Il medesimo Superiore comunicherà alla Sacra Congregazione nome e cognome dei Sacerdoti ospitati nel suo Istituto per ragioni di studio, con l'indicazione della Diocesi alla quale appartengono, dell'Ateneo e delle Facoltà a cui sono iscritti e della classe che frequentano.

Alla chiusura dell'anno scolastico riferirà al rispettivo Ordinario sul profitto negli studi dei singoli studenti e sulla loro condotta morale ed ecclesiastica.

Evidentemente le norme, di cui agli articoli 1, 2, 3, valgono anche per i Seminaristi, i quali però possono essere ospitati soltanto nei Seminari o Collegi Ecclesiastici aventi come fine proprio e diretto la formazione del Clero.

Roma, Ognissanti del 1950.

Il Prefetto
+ Giuseppe Card. Pizzardo

Il Segretario
† Carlo Confalonieri

ANNOTAZIONI

Le norme che regolavano l'iscrizione degli Ecclesiastici alle Università civili erano contenute nei seguenti documenti:

1) Istruzione della S. Congregazione dei Vescovi e Regolari del 21 luglio 1896 (*Acta Leonis* XIII, vol. XVI, pp. 220-28).

2) Disposizioni dell'Enciclica *Pascendi Dominici gregis* (7 sett. 1907), confermate nel Motu proprio *Sacrorum Antistitum* (1° sett. 1910) (*Acta Pii X*, vol. IV, p. 105 e vol. II, p. 658 sg.).

3) Dopo la promulgazione del Cod. Jur. Can., Decreto della S. Congregazione Concistoriale del 30 aprile 1918 (*A.A.S.* vol. X, p. 237).

In data 15 agosto 1931, la S. Congregazione dei Seminari e delle Università emanò una Circolare (N. 304/31) a tutti gli Ordinari d'Italia, con cui notificava: « La Santità di Nostro Signore Pio PP. XI ha ordinato...: *Nessun Ecclesiastico tanto del clero secolare che di quello regolare — e nessuna Religiosa — potrà d'ora innanzi chiedere l'iscrizione ad Istituti civili di studi superiori, senza aver ottenuto in antecedenza, per il tramite dei loro rispettivi Superiori, il « Nulla osta » della Sacra Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi.*

Notifico a Vostra Eccellenza Rev.ma che deve essere preferita per gli Ecclesiastici l'Università cattolica del Sacro Cuore di Milano, e per le Religiose l'Apostolico Istituto del Sacro Cuore in Castelnuovo Fogliani ».

Con successive istruzioni private, si andò chiarendo, che l'autorizzazione doveva essere concessa, anche per i Religiosi e per le Religiose, dalla S. Congregazione dei Seminari e Università. Questa la concedeva esclusivamente per l'Università Cattolica di Milano, quando si trattava di Facoltà che in essa funzionavano.

S. Santità Pio XI di ven. m. insistè molto sull'applicazione di tale norma, nè ritenne che si dovessero concedere eccezioni in considerazione della spesa maggiore o della necessità, per l'Ordinario, di ritenere nell'ufficio il soggetto, che, iscrivendosi all'Università locale dello Stato, avrebbe potuto rimanere al suo posto normale (Udienza 26 ag. 1936).

Onde s'intetizzare le norme emanate nei vari documenti precedenti, la S. Congregazione dei Seminari inviò agli Ordinari la Circolare 295/42 in data 20 ag. 1942: *Norme per gli Ecclesiastici che intendono compiere studi accademici presso le Università civili.*

La nuova Circolare (N. 1545/50/2), di Ognissanti 1950, riproduce sostanzialmente la Circolare N. 295/42, ma la chiarisce, facilitandone l'attuazione pratica. La prima disposizione è nuova: Non è necessaria

alcuna autorizzazione esplicita della S. Congregazione dei Seminari ed Università quando un Ecclesiastico (o Religioso, o Religiosa) si iscrive, per volere del Suo Ordinario, alla Università Cattolica del S. Cuore, o (per le Facoltà non esistenti presso questa) ad una Università di Stato determinata.

La Circolare N. 1545/50/1: *Norme per i Sacerdoti inviati ai Pontifici Atenei Romani*, riprende, semplificandola alquanto (le prescrizioni enumerate sono sette e non più otto) quella del 20 maggio 1946 (N. 668/46 B), che era intitolata *Norme per la venuta e la dimora in Roma di Seminaristi e Sacerdoti studenti italiani e per la loro iscrizione agli Atenei Pontifici*, ove si definiva la prassi già in uso da decenni, sotto la vigilanza concorde della S. Congregazione dei Seminari ed Università e del Vicariato dell'Urbe. Il breve titolo della Circolare N. 1545/50/1 fa intendere che i Seminaristi, per i quali sono in vigore le norme che valgono per tutte le Diocesi, non rientrano nell'oggetto di essa.

Come è chiaramente affermato nel titolo, si tratta dei Sacerdoti che vengono a Roma per ragione di studi ecclesiastici, specialmente dalla Diocesi d'Italia. Per le principali altre nazioni esistono nell'Urbe Collegi o Convitti Ecclesiastici, con opportuni Regolamenti già approvati dalla S. Congregazione dei Seminari ed Università, che prevedono la degenza a Roma di Sacerdoti studenti delle rispettive Nazioni. Queste norme, però, dovrebbero essere considerate come « direttive » da qualunque Ordinario che deve vigilare sui sacerdoti residenti, per ragione di studi, nel suo territorio.

A. Romeo

JURISPRUDENTIA TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Petro Mattioli, Ponente.

Nullitatis Matrimonii

(*Ex capite metus*)

Sententia definitiva diei 27 iul. 1950.

In saltationibus quae, diebus praesertim festis, in taberna quadam, « Café de la Paix » vulgo dicta, oppidi X, duci solebant a juvenibus loci, quasque puella Jenovepha, natione germana, contra matris suae voluntatem, frequentabat, haec adolescenti Nicolao, gallo, occursavit, eiusque amoris propositiones libere admisit et acceptavit.

Unde, a puella ipsa juvenis Nicolaus - menses post aliquot - parentibus praesentatus est: qui, non uno ex titulo, matri Jenovephae valde placuit, minus vero eiusdem patri.

Decurrente sponsalitio tempore, amor puellae, quae volubilis ac levissimi animi ab actis exhibetur, defervuisse dicitur, varias ob causas; invitata autem a viro, sponsalia abrumpere renuit.

Sic, die 10 junii 1939, in ecclesia parociali oppidi praedicti, ad matrimonii celebrationem deventum est.

Conjugalis convictus, per aliquod tempus felix, aut saltem normalis fuit; at, fatu pessimo, ut non infrequenter durante bello contigit, absente marito ob militiae officia, infidelitate uxoris foedatus fuit.

Inde, animorum dissociatio, mutua discessio, ac tandem civile divortium, quod mulier petiit et obtinuit a germanicis auctoritatibus.

Sed, vir, solutionis non contentus, et aliam mulierem ducendi cupidus (ut ex epistolis productis), sacrum vinculum, die 13 aprilis 1941, nullitatis accusavit ob metum, quem mulier, in contrahendo, ex parte matris passa esset.

Sententia primae instantiae, die 12 aprilis 1944, actoris votis annuit, pariterque alterius gradus, 23 aprilis anno 1948.

Sed, appellante adhuc Defensore Vinculi pro sua conscientia, nunc est tertio videndum: « An constet de matrimonii nullitate in casu ».

In Iure - Metus, qui cum Ulpiano definitur: « Instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio », obiectivum et deliberatum rationis judicium generatim non impedit, neque eligendi copiam simpliciter tollit: ille enim qui agit ex metu, quamvis, excluso

metu, diversimode egisset, revera deliberate eligit, seu *praefert* id quod minus malum aestimat. Unde effatum illud: « Coacta voluntas est semper voluntas ».

Nihilominus, metus voluntatem laedit, et actus, qui a voluntate sic infirmata procedunt, sunt voluntarii secundum quid.

Quapropter Ecclesia, convenientem libertatem exigens in contrahentibus matrimonium, ac jus naturale interpretans, statuit metum, certis quidem condicionibus vestitum, sacri vinculi validitati officere.

Condiciones huiusmodi bene, ex can. 1087 C. J. C., notae sunt, nec est cur heic illas, omnes et singulas, memoremus. Aliquid tantum animadvertisse sufficiat, quod casum subiectum magis spectare videtur, videlicet:

1. - Cum metus sit affectio animi subiectiva, ex periculo incumbente excitata, a priori patet eius gravitatem non esse exclusive, neque primarie, ex gravitate mali comminati dimetiendam, sed praecipue ex natura subiectiva eius, in quem metus infertur. Sunt enim qui nec coram morte trepidant, et alii, tam animo debiles ac timidi, ut quibuslibet, etiam minimis, perturbationibus commoveantur et agitentur.

Peropportune, ergo, doctores ac jurisprudentia rotalis, communi concordia, agnoscunt, in metu pensitando, ingenium inferentis ac patientis acute exigendum esse, nec eamdem semper mensuram esse a judice adhibendam, sed varia esse, in singulis casibus, considerandа: veluti sexus, aetas, mores non solum personae, sed et loci, educatio, ac similia adiuncta (Sanchez, De matr., lib. IV, disp. III, n. 3).

Quod maxime obtinet in metu reverentiali, qui nempe exercetur a superiore in subiectum ex propriae auctoritatis pondere; et, ut in casu praesenti sistamus, a matre in filiam. Non enim quaevis matris contra filiam increpatio, aut obiurgatio et percussio, ad correptionem inflicta, vel ad opus persuasionis, quod peculiares circumstantiae exigunt, fulciendum, illico malum et periculum grave aestimanda est, maxime cum mater generatim amans, atque animo imbecillis exhibeatur, et filia, e contra, proterva, audax, inoboediens. Nam in talibus puellis non facile gignitur metus, trepidatio, aut quaecumque animi gravis ac diuturna commotio, sicut in matribus illis difficile concipitur vis tam obstinata ac pertinax, ut compulsionem et vexationem aequet.

2. - Bene attendendum est an vis illata, ac metus, qui praetenditur ab ea generatus, det causam contractui. Hoc enim expresse lege praecipitur: nisi enim quis matrimonium eligat praecise ut a metu se liberet, valide contrahit. Unde, confundendus non est

defectus amoris cum defectu consensus, illudque constanter prae oculis habendum: « nuptias non facit amor sed consensus ».

Interdum enim accidit quod illata vis, quae ponitur, tantummodo *concausa* extet, vel mera *occasio*, ac matrimonium ineatur non ex gravi timore, seu trepidatione, sed ex aliis motivis: ut puta, ex persuasione, quam matris ratiocinia, modicaeque pressiones in filia excitarunt, praesertim cum scandalum aliquod, per matrimonium, evitandum vel reparandum sit, ac certa bona consequenda.

3. - Tandem, peculiari studio exquiri debet an animus illius, qui metum passus esse praetenditur, fuerit revera aversus, graviter ac constanter. Nam, hodiernis praesertim moribus attentis, quibus puellae tam facile cum juvenibus conversantur, nec tantum amice, sed et familiariter, saepe contingit ut simpathiae, palpitationes, passiones exardescant et evanescant, eiusdem, forte, diei decursu. Unde, non huiusmodi volubilis animi motus, ob quos istae levissimae foeminae nunc respuunt quem mox antea, usque ad insaniam, desiderabant, sed aversionis rationes ac motiva graviter perpendi debent, pariterque signa externa, quibus aversio panditur, ac media et conamina, quibus aversans utitur ad matrimonium a se avertendum. Quod, si eventus verificentur, qui e diametro opponuntur assertae aversioni, et aliunde media, quae praesto sunt ad mala et pericula utcumque imminentia evitanda, vel extenuanda, negligantur, jam evidenter conesquitur de animo vere averso sermonem institui non posse, ideo nec de metu gravi ac injusto.

In facto. - Displicet quam maxime, in hac causa, nonnullorum, quae ad assumptum sustinendum asseruntur, probationem desiderari; de aliis, quae thesim non juvant, altum a partibus observari silentium, quod facile concordatum dixeris; tandem, quorumdam falsitatem in aperto esse:

A) - Praetenditur animus mulieris in juvenem aversus fuisse, eo quod ipsa alium amabat, quem mulieris pater abhorrebat. Hoc actor se rescivisse affirmat ab ipsa conventa; rem confirmant testes nonnulli, ut Edwiges F., Maria L., huiusque mater. Nihil autem in judicio dicunt Conventa, eiusque genitores ac frater, et hoc jam satis innuit vel talem amorem numquam revera puellae animum incendisse, vel rem nullius momenti ac prorsus despiciendam fuisse. Ceterum, nullus ex testibus hunc hominem vidit umquam, nullus eius nomen revelat, nullus amoris signa quaecumque, inter ipsum et conventam, notavit: quae quidem attenta loci angustia, praetensum amorem tamquam fabellam amandandum imponunt.

B) - Sed et asserti suicidii tentaminis, ex parte Conventae, matrimonium hoc respuentis, probatio juridica desideratur.

Et in primis deest, de hoc, judicialis mulieris confessio; quae, contra vinculum et ipsa certans, eventum summi momenti, pro thesi probanda, certo non omisisset. Isti et illi factum revelavit, et non Judici inquirenti, cui probationes de assertis exhibere tenebatur!

Loquuntur, e contra, de suicidii conamine, a conventa patrato, testes nonnulli. Mater conventae habet: « Un jour, j'ai constaté la disparition d'un tube à 3/4 rempli de pyramidon. Interrogée par moi, ma fille m'a avoué les avoir avalés sans me dire pourquoi ».

Utrum haec certo referri debeant ad praetensum suicidii conamen non satis patet: sive quia filia tacuit de motivis, ob quae illa medicamenta ingessisset (num ex errore, ex inadvertentia?...), sive quia adiucnta, quae mater refert, cum datis ab aliis testibus non concordant.

Ceteri, qui rem commemorant, sunt Elisabeth F., Margarita F., Edwiges F., ex auditu a conventa.

Prima deponit: « La veille de ses noces, elle m'a confié avoir cherché à s'empoisonner ».

Haec testis verba non ita sumenda sunt, prout recta exegesis imponeret, ac Rm. Defensor Vinculi tenuit: quasi, nempe, conventa rem testi revelasset in pervigilio nuptiarum.

E contra, ut melius patet ex depositione Margaritae F., non revelatio, sed conamen suicidii praecise in pervigilio nuptiarum — fatente conventa — evenisset. Revelatio, e contra, locum habuit paulo ante separationem: « quelque temps avant son départ ».

Ex his, duo consequuntur notabilia: 1) Adiuncta temporis, ab his testibus relata, cum illis a matre conventae datis, ut audivimus, et ab Edwige F., ut audiemus, non convenire; 2) huiusmodi testes rem apprehendisse tempore suspecto, scilicet quando conventa jam adulterium patraverat, ac separatio coniugum prospiciebatur.

Restat ut dicamus de Edwige F., quae a conventa rescivisse affirmat quod « elle avait essayé, moins de huit pours avant le mariage, de s'empoissonner, en absorbant une dose d'aspirine ».

Quibus auditis, perpensis, inter se conlatis, nos facile expediemus, aiendo et hoc suicidii conamen esse effugium arte excogitatum ad probandam, vel roborandam utcumque, praetensam puellae averisonem.

C) - Mater conventae revelat filiam suam cum Nicolao, ante nuptias, rem hubuisse: ex causae testimoniis non emergit, sed tamen ut probatum retineri debet, quia partes nihil contra animadverterunt.

Dices: copula, in jurisprudentia, habetur signum libidinis, non consensus.

Sed Patres respondendum duxerunt: Utique copula non est per

se signum consensus, sed eo minus est signum aversionis; quin imo generatim, ut ipsa ratio suadet, est signum seu factum quod cum aversione difficillime componi potest. Nam, posita copula, quae per se ac directe est libidinis signum, recte ac facilius praesumtur amor et consensus, nisi contrarium invicte probetur, aut copulae eiusdem rationabilis explicatio praebeatur.

In casu, neque aversationis puellae invicta probatio affertur, ut jam ostensum est et adhuc melius infra explicabitur, neque peractae copulae praenuptialis explicatio quaecumque data fuit.

Voluerunt partes eam silentio praeterire, nec verbum addere post matris conventae revelationem judicialem.

Teneat proinde quis, si malit, copulam non evenisse nisi libidinis causa: at, ob eam, de amore et consensu mulieris saltem *prudens dubium*, *idque grave*, exsurgere quis est qui rationabiliter negare poterit?

D) - Tandem, nihil falsius ex actis probatur quam quod conventae mater, ad opus coactionis quomodocumque aggravandum, deponere ausa est: « Nicolas, un jour, a menacé ma fille et m'a menacé moi-meme, qu'il tirait sur nous deux ».

Imprimis, equidem, absolute non intelligitur huiusmodi minas cur Nicolaus jactaverit adversus puellae matrem, quae omni nisu eius intentis favere satagebat, quaeque eum summopere diligebat et in aestimatione habebat (cf., inter alia, ea quae socrus genero, post matrimonium, scribebat: « tu sais que je t'aime plus que ma fille », quaeque difficulter cum praedictis minis componi possunt); secundo, animavertitur neutram partem de his in judicio loqui; postremo, ex relatis ab actore contrarium resultare: non una, nempe, vice se puellam aliquo modo haesitantem liberam prorsus dereliquisse sua optata persequendi absolute affirmat. Et hoc etiam conventa expresse concedit.

Quibus praehabitis, argumentum aversationis, illudque coactionis directe aggrediamur oportet.

De aversatione mulieris erga virum, quae a puribus affirmatur, nemo causas univocas ac vere graves exhibet.

Traditur ab aliquibus, et ab ipso actore, eam alium juvenem coluisse; sed, ut innuimus, probatio ad rem deficit ac puella, de amore hoc, ne verbum quidem profert. Haec, ex adverso, refert:... ses manières me deplaisaient de plus en plus », item: « Il y avait quelque chose en lui qui me deplaisait. Tout me repoussait en lui, son caractère et sa manière de parler ».

At, praeter quam quod haec valde generica et levia sunt, remanet ut expostuletur a muliere ista cur, ergo, sponsum non dimiserit.

Dices: quia mater minis ac pressionibus instabat ne sponsalia abrumperentur.

Sed plane subsumitur matrem esse unicum praetensae coactionis testem directum, ipsam autem in judicio confiteri se filiam coëgisse, eo quod « elle avait couchè avec Nicolas »: quod certo certius - iterum dicimus - aversationis thesim non juvat.

Ceterum, actor informat: « Je l'ai demandée officiellement à Pâques 1939. La période écoulée entre la première entrevue et la demande en mariage va du 20 julliet 1938 à Pâques 1939. Les premiers temps elle était contente et m'aimait sincèrement; mais, au moment où j'ai posé la question à ses parente, elle n'avait plus l'air bien décidée. Elle m'avoua à ce moment-là, en pleurant, qu'elle en amait un autre. Je lui dis alors: C'est à prendre où à laisser, et elle me répondit qu'il ne fallait pas la laisser ».

De plano excluditur, ipsius actoris verbis, aversio quaecumque erga ipsum, enimvero:

a) per menses complures (du 20 juilliet 1938 à Pâques 1939), ipsa Nicolaum libere frequentavit, *insciis parentibus*, sincerum amorem in ipsum ostendens;

b) sponso proponente relationum abruptionem per dilemma: « c'est à prendre où àlaisser », ipsa, *non certe suadente ac premente matre*, cui adhuc Nicolaus praesentatus non fuerat, abrumpere noluit.

Bene, igitur, animadvertit egr. Defensor Vinculi ex episodio « non probari adversum animum seu repugnantiam Jenovephae in futurum sponsum, sed ad summum concedi posse indicia emergere de perplexitate aliqua, quae facillime superata est » quaeque ceterum non raro in juvenibus exsurgere et evanescere solet, maxime si, ut conventa, levissimo ingenio ac volubili animo dotati sint.

Ipsam aliquando amasse Nicolaum verbis eius confirmatur: « J'ai fait conessance de M. Nicolas à X, où il était soldat, en 1938, à l'occasion d'un bal, un dimanche, après-midi. Je l'ai rencontré assez souvent au bal: il me parlait de notre mariage, mais j'y étais opposée dès le début, en lui disant que j'étais trop jeune, je n'avais que 16 ans et ½, et que je n'avais pas de fortune. Pendant quelque temps, il me plaisait etc. ».

Utique conventa addere audet progressu temporis virum ipsi displicuisse, eiusque dicta jam supra retulimus; sed, super eius de re assertis Patres adnotatum voluerunt facta magis valere quam verba; haec autem esse facta a tabulis data:

1. - Cur, si vir ipsi gradatim displicuit, tabernam (scilicet Café de la Paix) frequentare perrexit (assez souvent — ut dicit) ad occursus cum eo, per tot menses, habendos?

2. - Nec satis; nam, velimus ne excidat!, *voluntati* ac *mandatis matris resistens*, ad tabernam illam concedebat. Ait mater: « Je

crois que M. Nicolas a fait connaissance de ma fille à X, au café de la Paix, où ma fille allait souvent contre ma volonté...».

Similiter pater: « Ma femme avait défendu à ma fille d'aller au café de la Paix pour danser » (27/14), ac frater: « Je sais seulement qu'elle aimait la danse et que, poussée par sa patronne, elle allait souvent au café de la Paix pour danser... Ma mère a toléré ce qu'elle ne pouvait pas empêcher ».

Si ergo, voluntati matris constanter se opponens, Jenovepha tabernam frequentabat, ad occursandum Nicolao, vel ubi evitare eius occursus non poterat, nonne ex hoc inferri licet, imo inferri debet, cuiuscumque aversionis defectus?

3. - Frater conventae aliquid aliud addit, quod certo certius, ob contextum, referendum est ad periodum, qua Nicolaus familiae sponsae jam notus erat. Dicit itaque Ernestus H.:

« Il est vrai que ma mère grondait quelque fois ma soeur de ce qu'elle rentrait si tard, et qu'elle allait se promener avec son fianché tard dans la nuit ». Num haec sunt adversi animi signa? Nihil heic addimus de amplexibus praematrimonialibus, de quibus jam satis supra dictum est.

4. - Accedunt circumstantiae concomitantes et subsequentes nuptiarum celebrationem. Sponsa, in die matrimonii, a sponso pingitur ut « très aimable », non paucis, per aequivalentia verba, concinentibus testibus.

Pariter, a sponso ipso libenter coniugalibus officiis satisfaciens describitiur: « Au début, elle acceptait volontiers le devoir conjugal; mais très rapidement elle n'accepta plus qu'à sa fantaisie ».

Unde falsa, per haec, probatur assertio mulieris: « Je m'y (nempe: consummationi matrimonii) suis prêtée de mauvaise grâce » itemque falsa, ac mulieri contradicens, affirmatio viri: « elle a repoussé toutes mes avances, s'opposant notamment, avec de moyens naturals cependant, à mon désir fervent de voir notre union consacrée par la naissance d'un enfant »; nam uxor ad rem habet: « Je n'ai jamais rien fait pour empêcher la maternité », quod certe melius cohaeret cum iis quae supra a viro audivimus de primis amplexibus.

Tandem, testes de visu haec de vita communi coniugum referunt: « Non, je ne l'ai pas connue avant son mariage. Bonne impression, après le mariage. Avait l'air de bien s'entendre avec son mari... (Vita communis perduravit) tout le temps de leur séjour à Balanzac. Elle fut intime, du moin extèrieurement » (Edith G.).

Adhuc: « Tant qu'ils étaient à X., chez moi, tout était normal, ils s'entendaient bien, mais, une fois partis, ils ne s'entendaient

plus » (Pater Conventae, qui pergit exponendo causam dissensuum, qui supervenerunt).

His simul sumptis ac mature pensatis, tenuerunt Patres Domini nullimode constare de gravi ac perseverante aversione conventae erga actorem, neque ante neque post matrimonium, ideo praesumptionem, in casu, non exsurgere de consensu meticuloso mulieris.

Coactionem quod spectat, jam innuimus rem totam accidisse inter filiam et matrem, quae unica testis directa in causa exhibetur. Deponit testis haec: « Oui, j'avoue que j'ai contraint ma fille à contracter ce mariage, et je l'ai fait parce que je sais qu'elle avait couché avec M. Nicolas, et je pensais faire mon devoir en la contraignant à ce mariage. J'ai aussi proféré des menaces; ainsi je l'ai menacée de la chaisser de nôtre maison au cas où elle ne voulait pas épouser M. Nicolas. Je ne pense cependant que j'aurais réalisé ces menaces. Ma fille croyait à la réalisation de ces menaces. Oui, il y a eu aussi des scènes et des discussions entre moi et ma fille et aussi entre moi et mon mari; ces scènes etaient assez frequentes. J'ai giflé deux ou trois fois ma fille dans cette même affaire ».

Haec, quae ab uno tantum deste oculato asseruntur, quaeque ab ipsis familiae intimioribus, de quibus mox, minime confirmantur, *etiam si vera ac plene probata*, certo non sufficerent ad gravem trepidationem animo puellae (cuius ingenium ac mores ex actis novimus) inducendam.

Horum, porro, oblivisci non debemus, videlicet:

1. - Mater conventae, ex omnibus causae actis, mulier valde debilis resultat, impar omnino ad filiae obsequium et oboedientiam sibi comparanda. Deponit ad hoc conventae frater: « Ma mère laissait à sa fille sa liberté: elle lui disait parfois: Tu dois savoir ce que tu as à faire. Ma mère savait qu'elle n'arrivait pas à lui imposer sa volonté, et qu'elle agirait toujours à sa tête, aussi dans cette affaire ».

Concordat pater, cum pluribus testibus.

2. - Filia, e contra, rebellis, indolis pervicacis, nimia libertate gaudens, eaque abutens. Sufficiat perpendere, praeter relata, haec alia fratris verba: « Elle n'avait pas peur de sa mère, et ne se laissait pas influencer par elle, et agissait toujours à sa tête ».

Idem eruitur ex aliis testimoniis, praesertim patris, et matris ipsius.

3. - Puellam talis indolis trepidare potuisse coram minitante matre, quis credere potest? Quid rationabiliter timebat? Matris per-

cussiones? Sed ipse pater has excludit, concedens tantum aliquam modicam correptionem.

Eiectionem a domo? At, quomodo tam callidae ac liberae indolis puella talia credere potuit, cum patrem contrarium nuptiis illis resciret, ideo paratum ad protectionem et defensionem?

Interrogata, proinde, a judice: « Qu'avez-vous fait pour échapper à ces menaces et à cette contrainte? « Avez-vous fait agir quelqu'un, et qui? », hoc notabile dedit responsum: « En face de ces menaces de ma mère, et tout étant prêt pour le mariage, je me suis résignée à le faire et j'en ai même parlé à mon fiancé, qui était disposé à renoncer à notre union, car ma situation aurait étée encore plus insupportable ».

Unde, nec patris interventum ac defensionem petivit, nec sponsum informandum curavit, sed morem gerere matri maluit, eo quod, post notos eventus, suadentia matris ratiocinia ei visa sunt.

Sed quaeritur: Dari possunt pro veris ea omnia quae mater deponit?

Res saltem valde aggravatas fuisse a praefata teste, sat ostendunt testimonia patris ac fratris conventae, et aliorum, quibus aliquid conventa ipsa, tempore non suspecto, revelasset.

Pater haec habet: « Puisque ma fille était volatile, ma femme cherchait à l'influencer pour en arriver à une decision en vue du mariage.

Ma femme n'a jamais frappé ma fille, autant que je sache, peut-être lui a-t-elle donné une fois une légère gifle; d'autre part, elle n'a jamais proféré de menaces pour pousser ma fille au mariage; mais elle a cherché de la décider résolument au mariage, pensant que c'était son bien et pour mettre un terme à cette vie légère de sa fille ».

Frater, dein, non modo cum relatis concordat, sed eo pergit ut maternum coactionis opus, a patre tam extenuatum, prorsus excludat: « Autant que je le sais, ma mère n'a pas contraint ma soeur à ce mariage. Je ne sais rien d'un refus de la part de ma soeur. Je ne sais rien non plus de ménaces proférées par ma mère ».

Legitur in sententia secundae instantiae: « Contra matris interventum sic descriptum, obiici possunt tum patris tum fratris conventae verba. Sed uterque fassus est se extra domum, laboris causa, saepe retentum fuisse... Unde judices aestimarunt verba patris ac fratris infirmare non posse depositiones matris ac filiae ».

Quae quidem nimia facilitate affirmata videntur; nam, verum est patrem et fratrem saepe, munerum suorum causa, e domo physice absentes fuisse; at abunde acta ostendunt quod absentes animo numquam fuerunt, nam bene omnia noverant quae in familia accidebant, eaque fideliter in judicio retulerunt: v. gr. puellae maximam

levitatem, eius frequentiam ad choreas contradicente matre, increpationes et obiurgationes matris, nocturnas deambulationes Jenovephae cum Nicolao, et ita porro. Quapropter Domini non admitti posse rati sunt quod testes, de familiae intimis undequaque informati, ignorare potuerint maternam coactionem ac Jenovephae resistentiam, vel ita imperfecte cognoscere, ut fere ad nihilum reducant.

Sed quispiam dicet rotalem jurisprudentiam multum conferre solere depositioni eius, qui metum passus est, pariterque testium metum affirmantium, potius quam illorum, etsi numero plurium, de libera voluntate deponentium.

Utique, si metum passus ac testes affirmantes undequaque fide digni appareant; sed, in casu, depositiones conventae, et eius matris, falsis et exaggerationibus non carent; et aliunde, dum testis affirmans est *unicus*, negantes vel extenuantes sunt de familiae gremio, qui, utpote intra parietes domesticos viventes, res directe vidisse ac perpendisse jure praesumuntur.

Tandem Patres non aufugit conventam, inter alia, deposuisse: « Je n'ai parlé de mes difficultés qu'à mlle Marie Claire et à sa mère, à X. Toutes deux étaient au courant de mes difficultés ».

Hi essent, proinde, ut e conventa haurimus, soli testes, ex auditu quidem, sed temporis non suspecti. Ideo testimonium istorum graviter cribrandum est.

Audiamus dnam Claram. De matre conventae, testis haec refert: « Mme Rose était une personne tranquille, reservée, qui ne fréquentait pas beaucoup de monde, et de bonne conduit. Je ne connais pas de circonstances où Mme Herr aurait contraint sa fille avant le mariage. Elle exigeait l'obéissance, mais je ne pense pas qu'elle dépassait ses droits.

Oui, Mme Rose a vraiment contraint sa fille d'après ce que Mlle me disait déjà avant le mariage. Elle me disait qu'elle aurait voulu se marier avec un jeune boucher de X, mais que sa mère ne le voulait pas...

M. Nicolas avait proféré des menaces à l'adresse de Mlle. On craignait un malheur au cas où elle ne se marierait pas avec Nicolas. Je n'ai pas connaissance des menaces proferées par mme Rose à l'égard de sa fille. Je ne sais pas non plus s'il y a eu des scènes dans la famille. Je ne crois pas que mlle ait été frappée par sa mère. Mlle nous disait avant le mariage: Je me marierai avec M. Nicolas pour que ma mère soit contente et rassurée et n'aie plus de malheur à craindre. Mlle nous a dit plusieurs fois qu'elle se marierait forcée par sa mère, pour qu'elle soit tranquille ».

E complexu relatorum verborum, nequaquam profluit gravis atque injusta coactio ex parte matris in filiam (recole: je ne pense pas qu'elle dépassait ses droits), neque metus ac trepidatio gravis

in filia, sed potius accomodatio voluntatis istius voluntati matris. Ceterum, percussiones, minae ac frequentes scenae, sive a matre sive a filia denunciatae, heic non confirmantur, ac vere non intelligitur quomodo vexata puella, internos sui animi sensus testi patefaciens, ipsi eidem vexationes praedictas distincte ac singillatim non retulerit.

Se ut filiam quoque praedictae testis auscultemus necesse est: « Mme Rose — dicit haec — désirait que sa fille se marie avec M. Nicolas. Elle le désirait à cause des menaces proférées par M. Nicolas. Il avait déclaré qu'au cas où J. ne l'épouserait pas, il ferait un mauvais coup à elle et à sa mère. Et c'est à cause de cette peur, que Mme Rose tenait au mariage de sa fille avec Nicolas. Je n'ai pas connaisance des menaces proférées par mme Rose à l'égard de sa fille. Je n'ai pas connaissance non plus des scènes de famille. Je ne crois pas que J. a été frappée par sa mère. Je sais par J. elle-même qu'elle n'aimait pas M. Nicolas et qu'elle ne voulait pas se marier avec lui, que pour échapper aux menaces proférées par lui ».

Etiam haec testis nec percussiones nec minas matris in filiam confirmat, nec disceptationes et acres intra familiam discussiones. Et hoc est adhuc magis mirum, nam testis est coaeva et amica conventae, et notum est puellas aetatis fere paris omnia inter se, vel minimis adiunctis non omissis, communicare solere. Sed testis thesim prorsus novam exponit: non mater, sed sponsus minas protulisset, et ab his perterrita, domina Rosa filiam ad matrimonium acceptandum impulisset. Jam vidimus minas sponsi in sponsam, ac maxime in matrem sponsae, admitti rationabiliter non posse. Sed eo minus acceptari queunt rationes, ob quas mater egisset in filiam; nam aliae prorsus sive a dna Rosa, sive a conventa, datae fuerunt. Quid igitur dicendum de sequentibus Clarae verbis:

« Ce que je viens de dire (quod mox audivimus), je le sais par les confidences, qui nous ont été faites par Mme Rose et sa fille »?

Cetera testimonia, ac litterae productae, nec aliquid momentosum praeseferunt, nec tempori non suspecto assignari possunt. Ideo flocci facienda sunt.

Albertus Canestri
Joannes Teodori
Petrus Mattioli, *Ponens.*

TRIBUNAL REGIONALE ETRUSCUM

Coram R. P. D. Aemilio Sanesi, Ponente

SENEN

Nullitatis Matrimonii
(Ex defectu formae)
Sententia 1ae Inst. diei 5 Iunii 1951.

(*Omissis*) 1. - Facti species. - H. Ch., triginta annos natus et L. C., triginta et quatuor annorum aetatis, die 8 Januarii 1936 nuptias inierunt in sacello « del Rifugio » sito in paraecia S. Clementis « ai Servi », urbis et dioeceseos Senensis. Contrahentium consensum R. D. C. B. excepit, Canonicus Metropolitanae Senensis, Matrimonium felix exitus secutus non est, quamquam filius unus natus est. Conversatio coniugalis brevi tantum tempore duravit. Dissociatio animorum etiam ob indolis diversitatem invaluit et separatio coniugum effecta est. Postea vir, qui ad praesens in Bostoniensi urbe Statuum Americae Foederatorum degit, exhibito competenti iudici supplici libello, petiit ut matrimnium a se initum initum iuridice nullum declararetur ex defectu formae substantialis, quatemus sacerdos, ut testis qualificatus, adsistens debita delegatione caruisset. Decreto Em.mi Card. Archiepiscopi Florentini die 12 Decembris 1950 collegiale Tribunal institutum est: eodem die libellus acceptatus; die 18 Decembris 1950 habita est contestatio litis et dubii concordantia in sequenti formula: « An constet de nullitate matrimonii in casu ex defectu formae substantialis ».

2. - In Iure. - In celebratione matrimonii duplex forma distinguitur: *iuridica seu substantialis*, *et liturgica seu accidentalis*. Prior eas requirit sollemnitates, quibus omissis matrimonium invalidum est, utpote non in facie Ecclesiae, nempe sciente et probante Ecclesia celebratum; altera, pertinens ad nuptiarum ritus, aliquas ritualis romani caerimonias postulat, quibus omissis matrimonium validum est, sed illicitum.

3. - Forma iuridica in hoc consistit: quod matrimonium contrahatur coram Parocho aut Ordinario loci, aut sacerdote, qui ab alterutro delegationem habeat; quod sive Parochus, sive loci Ordinarius, sive Sacerdos ab alterutro delegatus, ut testis qualificatus, consensum contrahentium nomine Ecclesiae excipiat; quod alii duo testes, qui qualificati non dicuntur sed communes seu ordinarii,

matrimonio adsistant. Ita Codex: « Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahantur coram Parocho vel loci Ordinario, vel Sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas, expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus, de quibus in can. 1098, 1099 ». Can. 1094.

4. - Antiquitus tamen pro valide contrahendo forma susubstantialis statuta non erat; ita ut matrimonia etiam, quae clandestine celebrabantur, valida haberentur. In hoc antiquius ius Concilium Tridentinum immutavit edito decreto *Tametsi; q*uo ut matrimonia valida haberentur sancitum est ut praesente parocho vel alio sacerdote de eiusdem parochi aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus adstantibus, celebrarentur. Sed, cum aliquibus in locis decretum *Tametsi* promulgari non potuerit, ibi matrimonia clandestina validitate pollere perrexerunt. Jus matrimoniale, pro recentiorum temporum opportunitate, in hoc Pius X reformavit, edito decreto *Ne temere*, quod vigere ecepit a die Paschatis, 19 Aprilis 1908; quod ius Codicis subsecutum est, qui vigere coepit a die 19 Maii 1918, nempe Pentecostes.

5. - « Ad statutam superius formam servandam tenentur: 1° omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt; 2° iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant; 3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis ». Can. 1099. par. 1. Ex eodem canone liquet qui a forma matrimonii iuridica servanda sint immunes.

6. - Cardo autem immutationis in lege clandestinitatis recentiore iure introducta in hoc fuit: quod competentiae parochi proprii ratione domicilii vel quasi domicilii, qua parochus ubique terrarum matrimoniis subditorum adsistebat, substituta est competentia parochi territorii, in quo matrimonium celebratur, ita ut parochus in suo territorio valide adsistat matrimoniis sive subditorum sive non subditorum.

7. - Quoad delegationem vero ad adsistendum, haec prae oculis habenda erunt:

« Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut infra fines sui territorii matrimonio assistat ». Can. 1095, par. 2.

« Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, par. 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generali-

bus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro parcocia, cui addicti sunt; secus irrita est ». Can. 1096, par. 1.

8. - Facultas quidem adsistendi matrimonio ut testis qualificatus, quamvis proprie loquendo actus iurisdictionis non sit, tamen iurisdictioni adsimilatur, sive quod vi officii obtinetur, sive quod delegari potest. Sed, ut est dispositio canonis, ut delegatio valeat, facienda est: 1° sacerdoti determinato, qui nempe determinari debet a delegante in individuo sive per designationem officii, sive per designationem nominis, sive etiam alio modo, dummodo determinatio ab iure requisita non desit; 2° ad mtarimonium determinatum, quod nempe determinari potest, vel nomine contrahentium, vel eorum officio, vel etiam hora et loco celebrationis. Sed delegatio debet esse expressa; et hoc nunc primum iure Codicis certo modo requiritur. (Wernz - Vidal, *Jus matrimoniale*, n. 538). Exprimitur autem vel voce vel scripto vel aliis signis aequivalentibus. Non sufficit ergo licentia tacita vel praesumpta, vel interpretativa: neque admittitur mera tolerantia, Immo, iuxta Card. Gasparri parochus vel loci Ordinarius, ut delegatio valida sit, eam concedere debet *sciens volens*. (*De matrimonio*, n. 948). Neque sacerdos delegatus potest subdelegare nisi « haec subdelegandi potestas *expresse* a delegante fuerit delegato commissa ». (Casparri, *De matrimonio* n. 953). Debet autem delegatio exerceri intra limites territorii sive Parochi sive Ordinarii delegantis, cum nemo possit plus iuris transferre in alium quam sibi competere dignoscatur. Immo si aliquae adsint condiciones a delegante appositae, eas delegatus servare debet, ne mandati sui fines excedat ed invalide agat. Denique « ex parte delegandi requiritur ut delegationem cognoscat et saltem implicite acceptet ». (Cappello, *De Matrimonio* n. 675).

9. - A parte autem parochi delegantis etiam, quae sequuntur, observanda sunt: 1° eius est investigare num matrimonio contrahendo aliquid obstet (can. 1020, par. 1); 2° eius est examen sponsorum peragere (can. 1020, par. 2); eius testimonium recepti baptismi a contrahendibus exigere (can. 1021, par. 1); 4° ut licite deleget, debet ante omnia explere ab iure constituta pro libertate status comprobanda (can. 1096, par. 2); ipse vel eius vices gerens debet quam primum in matrimoniorum libro transcribere celebratum matrimonium cum adsistentia sacerdotis delegati (can. 1103, par. 1). Hinc palam est quod in archivo parociae matrimonii, etiam in casu concessae delegationis, exsistere debent documenta tum de matrimonio celebrando, tum de matrimonio celebrato.

10. In Facto - Matrimonium, de quo agitur celebratum est in sacello « del Rifugio » sito in paroecia S. Clementis « ai Servi ».

11. - Cum de forma substantiali seu iuridica in casu agatur, primum examinandus est actus ipse integralis celebrati matrimonii.

12. - In casu authenticum exemplar actus integralis desumptum est non a libris paroecialibus S. Clementis « ai Servi », nempe parociae in qua matrimonium celebratum fuit et in cuius libris ad normam iuris (can. 1103, par. 1) describi debuisset, sed ubi reapse nulla adnotatio facta est; sed a libris paroecialibus S. Mamiliani « in Valli » nempe paroeciae sponsae.

13. - Actus integralis refert non modo contrahentium et communium testium nomina, sed etiam praeter subscriptionem sacerdotis, ut testis qualificati adsitentis, subscriptionem etiam parochi S. Mamiliani « in Valli ». Quae ad nullum effectum requirebatur: sed quae facile explicatur si in subscribente admittatur opinio se in casu potestatem habuisse valide adsistendi et valide delegandi.

14. - Sed, quod magis relevandum est, in actu integrali matrimonii habetur adnotatio delegationis sacerdoti adsistenti concesse ab invalide concedente: nempe a parocho sponsae, non matrimonii. Si mera haberetur carentia adnotationis concessae sacerdoti adsistenti delegationis, seu licentiae; vel si adnotatio concessae delegationis haberetur, sed non a quo concedente; argumentum tantum negativum, et non ultra, extaret de defectu delegationis in sacerdote adsistente. Et firma praesumptione de validitate actus, donec veritati cederet, iudicialiter posset inquiri de delegatione seu licentia obtenta aut non obtenta a valide delegante. Sed in casu habetur adnotatio delegationis concessae ab eo qui facultate concedendi carebat; quod argumentum positivum constituit ad defectum formae substantialis iuridice probandum.

15. - Ubi ad finem introducendae causae a parte actrice ex Archiepiscopali Curia Senensi quaeri informationes coeptae sunt, eiusdem Curiae Cancellarius ex officio ad R. D. Sac. P. rescripsit matrimonium, de quo quaerebatur, celebratum fuisse « nella chiesa del Rifugio (Parrocchia di S. Clemente ai Servi) *con la delega del Parroco della sposa* (Parrocchia di S. Mamiliano in Valli. Richiesto il Parroco della suddetta delega *data da lui illegittimamente perchè fuori del suo territorio parrocchiale*, egli ha dichiarato in scritto di essere stato delegato verbalmente dal Parroco di S. Clemente ai Servi ». Epistula data est die 25 Julii 1949; eadem die data est scripta declaratio eiusdem Parochi S. Mamiliani « in Valli » et in archivo Curiae deposita, quod: « sebbene nell'atto di matrimonio, regolarmente redatto con le firme dei testimoni e del celebrante sia stato detto che il *Can. C. B. era delegato per questo atto del Parroco di Valli, il sottoscritto voleva con ciò intendere delegato*

dal Parroco di S. Clemente ai Servi; P. F. T., al quale era noto il matrimonio e che verbalmente al sottoscritto dette questa delega ».

16. - Cancellarius Archiepiscopalis Curiae Senensis, obictive quidem rem exposuit qualiter ex actu matrimonii constabat, adiecta notitia scriptae ab eodem Parocho declarationis; sed de exarata declaratione, recte quidem et opportune, nullum commentarium addidit. Sed iudicis est serio perpendere quae fides Parochi S. Mamiliani « in Valli » declarationi habenda sit. Et in primis: reddita est maxime suspecto tempore: nempe ubi ex investigationibus ex officio a Curia Senensi peractis, ei patuit delegationem in actu integrali matrimonii declaratam nullam fuisse; et ideo se praeter legem eam concedendo egisse, itemque sacerdotem, qui matrimonio adsistit; immo et utrique causam esse imputandam de consectariis, quae ex eventuali declaratione nullitatis matrimonii parti conventae obventura essent. Idcirco fundata suspecio non abest utrum ad veritatem constabiliendam reddita sit an potius ad se censura purgandum.

17. - Quod si haec ipsa examinetur scripta declaratio, facile patet quod potiusquam explanatio inscriptae de concessa delegatione clausulae, habetur inscriptae clausulae cum nova clausula substitutio. Sed si etiam hypothetice tantum, innitendo eius verbis, admitteretur concessio delegationis a legitimo delegante eidem facta, prout eius verba sonant, saltem dubium exstaret utrum ei delegatio concessa esset, an sacerdoti, qui de facto ut testis qualificatus matrimonio adstitit.

18. - Ast quo plenius et omni ex parte res perpendatur, videamus quae in iudiciali depositione praefatus testis deposuerit: « Sì, *detti io lo delega* solo verbalmente per assitere canonicamente al matrimonio Ch. - C. e tale matrimonio è annotato nella Parrocchia di S. Mamiliano in Valli. Io concessi tale delega e credei di concederla, perchè pregato dalla madre della sposa. La Cappella del Rifugio appartiene alla Parrocchia di S. Clemente ai Servi ». (R. D. O. R.). Neque tam clara confessio indebite concessae delegationis destruitur ab iis, quae in eius depositione sequuntur; « Sapevo che era necessaria la delega del Parroco di S. Clemente ai Servi, *gli chiesi se avesse nessuna difficoltà a che fosse celebrato il matrimonio della mia popolana nella chiesa del Rifugio. Egli non ebbe difficoltà. Io mi limitai con lui soltanto a questo e non specificai di più. Essendo poi venuta la mamma della sposa, manifestando il desiderio che benedisse le nozze il Can. B., io credei autorizzato a delegare il medesimo* ». (D. O. R.). « Credo che il Can. B. si sia rivolto per questo anche al P. T. ai Servi. Egli doveva fare annotare tale matrimonio nei registri della mia par-

rocchia, perchè si trattava di una mia popolana ». (D. O. R.). « Ritengo che dal fatto che tale matrimonio risulta annotato nei libri della Parrocchia di S. Mamiliano in Valli si debba dedurre che fu il Parroco di tale Parrocchia a dare la delega per l'assistenza al Can. B. E questo Parroco sono io ». (D. O. R.).

19. - Depositionem sive summatim sive singillatim consideranti luce clarius est quod praefatus testis ius matrimoniale, qualiter a Codice innovatus est, ignorabat et ignorat. Si ita ergo, inutile quaerere est utrum delegationem vel pro se vel pro alio sacerdote ab eo qui legitime et ideo valide delegationem concedere potuisset, petierit an non petierit; evidenter enim non petitur quod ad valide vel licite agenduf necessarium esse ignoratur.

20. Quod aliqua depositionis particularia attinet, certum est quod verba colloquii, quae testis ipse refert, ab eo cum Parocho S. Clementis « ai Servi » habiti, non talia sunt ut per ea clare significetur aut facta licentiae petitio aut licentiae facta concessio; sed potius quaedam videntur praeviae tractationes ad nuptialis ritus celebrationem in aliena paroecia; quas de facto sequi poterat aut non poterat petitio et concessio licentiae. Sed dato etiam et non consesso quod per verba, de quibus superius, et debite petita licentia intelligeretur et ligitime concessa, ei tantum, ut sacerdoti determinato, concessa fuisset, non vero sacerdoti, qui de facto matrimonio adstitit. Hic enim eidem testi non ante petitam, ut ipse asserit, licentiam sed postea notus fuit: non ergo potuit in casu licentiam petere eandemque obtinere cum facultate illi, ut sacerdoti determinato, subdelegandi.

21. - Aliqua documenta adsunt in actis a patre conventa exhibita, quae examini subiicienda sunt: nempe binae litterae die 22 Maii 1949 datae ad Rev. P. Ph. T. O. S. M., Parochus tempore illius matrimonii S. Clementis « ai Servi »: una a Rev. D. C.B., qui matrimonio ut testis qualificatus adstitit; altera a R. D. O., parocho sponsae; quibus petebatur ut ad litem, quae a parte actrice instauranda erat, praepediendam, exscriberet se legitimam delegationem, quamvis oretenus, concessisse. Quas postulationes declaratio secuta est die 19 Junii 1950 a praefato P. Ph. T. exarata et ad partem conventam data: « In seguito alle circostanze particolareggiate ricordatemi dai Rev.mi Mons. B. C. e Don O. R. ricordo che nel periodo, in cui fui Parroco a S. Clemente ai Servi a Siena mi fu parlato dai sacerdoti sopra ricordati e concessi a viva voce la delega per il matrimonio che intendevano contrarre nella chiesa de lRifugio i Signori R. Ch. e L. C. ».

22. - Sed prima facie consideranti manifestum est, ceteris ad praesens omnissis, quod declaratio R. P. Ph. T. non omnem suspi-

cionem effugit; sive quod ad instantiam partis data est, quae ex eventuali declaratione nullitatis matrimonii se gravatam putabat; sive quod tempore suspecto data est et ii ipsi, qui pro parte conventa eam postulavere, potius quam pro rei veritate, ad consectaria ex eventuali declaratione nullitatis avertenda egisse videntur.

23. - Et testis P. Ph. T., cuius erat, si veritati res responderet, datam declarationem sine haesitantia ulla in iudicio confirmare - et qui ter iudicialiter auditus est - non zibi constans in deponendo sed sibi ipsi contradicens fuit: « Non ricordo con precisione se dal Can. B. o da altri per lui mi si chiedesse la delega necessaria. Ricordo bene che il Can. B. mi accennò alla vigilia o antivigilia del matrimonio che il matrimonio lo avrebbe benedetto lui, ed io fui consenziente anche esteriormente, tanto è vero che gli dissi che facesse pure lui e che io non avevo difficoltà alcuna ». Sed addit: « Non so se tale delega venisse chiesta dal Can. B. alla Curia Arcivescovile ». Ergo suasum habebat se delegationem non concessisse; aliter postrema haec verba non addidisset. Et requisitus utrum Can. C. B. an parocho O. R. licentiam concessisset: « Non voglio dire una cosa per un'altra non lo ricordo ». Et adhuc explicite rogatus: « Ella dette la delega immediatamente al Can. C. B. oppure dette la delega al Parroco di Valli? E se dette la delega al Parroco di Valli, giela dette perchè assistesse lui al matrimonio, oppure perchè la comunicasse al Can. B.? respondit: « Non ricordo con precisione come andarono le cose ». Haec in prioribus interrogatoriis.

24. - In tertio autem alia addidit, quae omnino cum declaratione scripto data pugnant: « In coscienza debbo dire che non ricordo di una delega a me richiesta dal Parroco di S. Mamiliano in Valli per il matrimonio Ch. - C. ». « Posso dire soltanto che mi pare, ma non più che questo, che Mons. B. mi dicesse che avrebbe benedetto lui il matrimonio Ch. - C. Ripeto che non ricordo la richiesta specifica fatta da Mons. B. ». Hisce positis, omni prorsus valore destituitur declaratio praefati testis ad instantiam partis conventae exarata.

25. - Addendum est quod praefatus testis, etiamsi alteri sacerdoti licentiam adsistendi esset concessurus, debuisset ipse providere ad ea exsequenda et procuranda, quae matrimonio celebrando a parocho matrimonii ex iure praemittenda sunt (can. 1020, 1021, 1096): de quibus nihil in eius depositionibus. Et post concessam licentiam, quam primum in libris suae paroecia matrimonium describere debuisset cum delegatione a se concessa celebratum. (can. 1103). Quod factum non est. In archivo enim paroeciae S. Clementis « ai Servi », nullum exstat documentum de concessa licentia,

nulla descriptio de celebrato matrimonio (P. J. F. ad praesens Parochus S. Clementis « ai Servi ». Hinc aut licentiam non concessit aut nescivit etiam a se, pro validitate matrimonii, integro Ordinarii iure, esse concedendam.

26. - Sed veniamus ad testem Rev. C. B., qui de facto ut testis qualificatus matrimonio adstitit. Illius quidem erat, antequam ad adsistendum procederet, certitudinem habere de concessa a legitime delegante licentia. E contra in hoc totum videtur se commisisse parocho non matrimonii sed sponsae: de quo iam superius. In errore est ubi scribit de matrimonio « regolarmente da me celebrato e quindi registrato nella Parrocchia di Valli ». Juxta enim canonicas normas celebratum non fuit et irregulariter in libris paroeciae sponsae descriptum est. Si adsistendi licentia ab eo petita est — de qua non meminit quidem — petita est ab hoc, qui facultate delegandi in casu carebat: « In coscienza io non ricordo se chiesi o non chiesi personalmente al Parroco di S. Mamiliano in Valli la facoltà ossia la delega per benedire quel matrimonio ». Et si non ipse sed familia sponsae, (ut ipse asserit se pro certo habuisse), pro se qualiter sacerdote adsistente licentiam petiit, item a parocho delegandi in casu facultate carente, petita est: « Avevo però la certezza che mi veniva da parte della famiglia C. che tale facoltà e delega era stata già richiesta da essi a detto Parroco (nempe Parocho S. Mamiliani in Valli) ». Et de fortuito colloquio quod praefatus testis cum Parocho S. Clementis « ai Servi » habuit quoad matrimonium, cui ipse adsistentiam praestaturus erat, ipse concludit: « Così gli dissi per delicatezza, *senza pensare alla delega* ». Satis igitur exploratum est quod petitio licentiae ab legitime delegante pro parte sacerdotis matrimonio adsistentis defuit. Defuit igitur et concessio.

Hisce in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Judices, pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi Nomine invocato, decernimus, declaramus ac definitive sententiamus ad propositum dubium:

An constet de nullitate matrimonii in casu ex defectu formae substantialis;

Respondentes: *affirmative*, nempe: *Constare de nullitate matrimonii in casu ex defectu formae substantialis.*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

COMMENTARIA
IN ADHORTATIONEM APOSTOLICAM
MENTI NOSTRAE PII Pp. XII

DE SOCIALI PROVIDENTIA CLERI

Ad insignis huius Apostolicae Adhortationis extremum commentarium accedentes, aliquid de oeconomica Cleri ratione innuere censemus, Divini Redemptoris memores, qui multitudines caelestia sitientes panibus piscibusque multiplicatis primum satiavit.

Nemo est qui miserabiles aetatis nostrae condiciones rei familiaris Cleri ignoret, potissimum in regionibus nefando bello oppressis vel ab inimicis atque hostibus Ecclesiae Dei foede excruciatis. In dies singulos, Dei administri pugna enitent mirifica, vitam in egestate degentes, hoc uno summo maerore affecti se non valituros tot fratribus, mystici corporis Christi membris, doloribus vexatis vitae necessaria suppeditare.

Sic Parochus hodie septem milia libellarum et quattuor exigit singulis mensibus congruae remunerationis nomine a rei pubblicae administratione; item Vicarius curatus autonomus quattuor milia libellarum et quattuor: quae remunerationes, ex novissimis propositis legibus, centesimae quinquagenae erunt. Nuperrime, in disputatione a Consilio munerum publicorum Senatus habita de legis adumbratione, a Popularium oratorum coetu iam confirmata, in deliberationem venit insequens Senatoris Stephani Riccio proposita sententia: « La Commissione, ritenuto che la situazione economica del Clero congruato è tra le più disagiate; che l'aumento del 50 per cento sulla congrua a suo tempo approvato è lungi dal provvedere alle reali esigenze del Clero stesso... invita il Governo a riesaminare al più presto la misura delle congrue, per adeguarle alle esigenze essenziali del Clero in relazione alla misura raggiunta dal costo della vita, tenendo in particolar modo presente la situazione abnorme in cui trovansi tutti i Vicarii economi e titolari delle parrocchie più piccole » [1].

Inde christifideles interdum necessitate se obligatos conspiciunt suo Parocho auxiliandi; sic haud ita pridem in quadam Italiae paroecia aliquot opifices, suo Parocho sine alimentis viventi largeque

[1] Quibus verbis publici invitantur Moderatores ad praesenti rerum asperitati Cleri consulendum et gravitas effertur angustiarum Vicariorum paroeciarum minorum.

pauperibus omnia sua donanti prospicientes, scidam cautionis pro futurae vita cursu ab Instituto pensionibus Clero assignandis (*Monte Pensione de Clero*), ei comparandam curarunt.

Et administri Dei exstant, una Missae stipe, persaepe hisce temporibus difficili inventu, spiritum ducentes.

At Commentarii nostri natura in plurimis enumerandis casibus, vulgo ignotis sed aureo signandis lapillo in sacro fortissimorum Ecclesiae virorum indice, nos immorari non patitur.

Qua de re facile intellegi potest ingens studium quo ubique terrarum excepta sunt Summi Pontificis verba, in Apostolica Adhortatione *Menti nostrae* contenta. His enim verbis, quae christifidelium Pater, anxio perfusus maerore, ad christianum habuit populum, animi maximopere affecti sunt: « Quomodo... a sacrorum administris alacris sui muneris opera postulari potest, quibus necessariae ad vivendum res non suppetant? ».

Quodque omnes pro certo habebant, cum scirent Pontificem Maximum, impensissimo assiduoque ductum amore ad deleniendos evangelica pietate christifidelium dolores, Clero, flori gregis sibi ab ipso Redemptore commissi, affuturum. Quo fit ut gravis quaestio, quae vix ante timideque in cunctis pro Clero conventibus exoriebatur, in totum ponatur: Sacerdotibus de ope laborantibus prospicere; subsidia ipsis, cura incerti futuri oppressis, praestare atque adiumenta iisdem, inepta valetudine vel senio affectis aut infirmis, opitulari.

Eaque de causa Summus Pontifex, Episcopos hortatus ad inceptum pro Clero munus perficiendum, quodlibet laudat egregium facinus socialis providentiae in Sacerdotes provehendae; eos alloquitur ut suis in sacerdotio fratribus consulant, Iesu Christi verborum memores: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Ioann.*, *XIII*, *35*); misericordiam commovet christifidelium cunctorum ut Clero in egestate versanti auxilientur, Domini verba recolentes: « Dignus est enim operarius mercede sua » (*Luc.*, *X* 7), atque finem dicendi facit commonefaciens civiles magistratus de idoneo adiumento Clero praestando, cum per Clerum ipsum vitae societas plurimis supernis humanisque bonis ditetur.

Quae Summi Pontificis verba, paternum redolentia maerorem, fructum tulerunt. Apostolicae Sedis Ministeria, enim, et cumprimis Sacrum Consilium cleri populique disciplinae praepositum, plerique Praesules, exterarum quoque regionum, nonnullaeque mensae argentariae rem ipsam perscrutantur eo animo ut, consociata opera, Apostolicae Sedi adiumento sint.

Sane quidem Apostolica Adhortatio digna cura apud omnes Italiae exterarumque Nationum ephemerides commemorata est.

Rebus investigandis Coetus, vulgo « C. I. P. » appellatus, idibus ianuariis anni huius scripsit: « I problemi riguardanti la previdenza per il Clero vengono esaminati e discussi in tutte le diocesi d'Italia. Molti Ordinarii diocesani, apprende il C. I. P., in seguito alle direttive previdenziali che il S. Padre ha indicate nella sua ultima Esortazione a tutto il Clero del mondo cattolico *Menti nostrae*, hanno deciso di lasciare i sistemi mutualistici e caritativi per l'assistenza al Clero vecchio ed invalido, per aderire a formule di previdenza assicurativa. Infatti una previdenza assicurativa, che offra al Sacerdote un diritto ad avere una assitenza assidua nella vecchiaia o invalidità, viene ritenuta dagli stessi Ordinarii un sistema più consono alla dignità sacerdotale rispetto alle antiche mutue, che umiliavano i sacerdoti obbligandoli a chiedere sussidi saltuari ed inefficaci. Ricordiamo che già da anni un'iniziativa previdenziale per assitere i Sacerdoti vecchi e bisognosi è stata presa dall'Azione Cattolica con l'istituzione di un *Monte Pensioni per il Clero* [2].

Verum est Apostolicam Adhortationem nullam ostendere peculiarem providentiam, cum liberam Ordinariis potestatem faciat formam providentiae magis idoneam seligendi; at summa ephemeridum consensio exstat, ardensque opus in singulis dioecesibus fervet ad Christi Vicario celeriter obsequendum.

Sic vexata quaestio de sociali in Clerum providentia prosiluit summo eorum gaudio, qui hos vineae Domini admirantur demissos operarios rem suam parvi facientes, laetos solummodo de praestita a se pro aliis opera. Quamprimum, haud dubio, uberes erunt fructus, quibus sacrorum administri, domesticis recreati sollictudinibus alacriore opera in bonum gregis sibi commissi incumbere poterunt.

Quapropter Clerus quoque controversiis adest, quae, hac praesertim aetate, in sociali providentia provehenda magnos prae ceteris progressus effecerunt. Socialis providentia, enim, etsi nuper orta, quammaxime profecit, si sodalium spectetur numerus in dies frequentior.

Ex quo patet nostris diebus oeconomicae securitatis necessitatem eminere, ubi in agendo communis confertur vis, quae in sociali munere absolvendo tota non est, verum et proprie humanos societatis hodiernae progressus quoque complectitur.

In universis Nationibus leges latae sunt ad hoc concitandum inceptum socialis securitatis civili innixae officio, cuius natura providentiae obligatione obsignatur.

In Belgio exstat socialis providentiae supremum Consilium (*Ministère de la Prévoyance Sociale*) et publicum socialis securitatis

---

[2] Magnum heic refertur studium, quo in Italia sacri Praesules Apostolicae Adhortationi certatim responderunt.

officium (*Office National de la Sécurité Sociale*) pecuniae congerens collationes, dispertiendas arcis ad morbis medendum atque ineptam valetudinem sublevandam, ut inde subsidia dentur iis, qui negotiis sint soluti iisque qui senio laborent.

In Gallia est laboris ac securitatis socialis supremum Consilium (*Ministère du Travail et de la Sécurité Sociale*) a quo sequentes aluntur arcae: primariae a securitate sociali (*Caisses Primaires de Sécurité Sociale*); regionales a securitate sociali (*Caisses Régionales de Sécurité Sociale*) et regionales a securitate senibus tutandis (*Caisses Régionales d'Assurance Vieillese*). Exstant, praeterea, Instituta peculiaria libera ad providentiam cautionesque praestandas quibusdam opificibus, v. g. viis ferratis praepositis, fossoribus, nautis aliisque.

In Germania sociale adiumentum ortum habuit anno millesimo octingentesimo tricesimo nono ad iuvenibus operariis nominatim opitulandum, at iam pauperibus adiumentum totum a civilibus Moderatoribus praestabatur.

Studiis cautionum percebrescentibus, socialem providentiam ita emendare excogitatum est, ut pensio sponderetur singulis sodalibus communitatis nationalis, etiam autonomae professionis, unde satis fieret, etsi minimum in modum, invalidis ac senibus, nulla ab eis expostulata stipe, cum necessaria pecunia e vectigalium reditibus quotannis detraheretur: aliis verbis, singuli cives exactionibus ac tributis cuiuscumque generis obnoxii parvulam summam solverent invalidos vel senes iuvandi causa. Nunc autem, donec aliter sociali providentiae prospiciatur, in Germania cautionibus consulit res publica ipsa per arcas civitatum (*Gemeindekassen*), administrationum (*Betriebskassen*) mutuarum (*Gegenseitigkassen*) et consociationum (*Vereinskassen*).

In Hispania, praeter providentiae arcas (*Mutualidades de Prevision*) in mutiplicium operum bonum constitutas, instituta stipendiis familiae necessariis qui oneri sint dandis (*Plus de cargas familiares*) atque praemia nuper progenitis ac nuptias conficientibus impertita (*Premios a la natalidad y a la nupcialidad*), variae exstant institutiones securitatis, ab ipso supremo Consilio labori provehendo praeposito, iuvante « *Ministerio de Trabajo* », promotae. Societates non paucae cautionibus procurandis vigilantiae obnoxiae sunt Instituti Nationalis Providentiae (*Instituto Nacional de Prevision*), a memorato supremo Consilio pendentis. Cautiones vero institui debent: 1) si quaedam calamitas opificibus contingat, cum agitur de artibus, agricultura et rebus maritimis, ope gratis praestita medicinae et pecunia dilargita iisdem opificibus eorumque familiaribus; 2) pro inepta valetudine vel senectute. At ius ad praestationes oeconomicas acquiritur cum expletur sexagesimus quintus aetatis annus, vel etiam an-

tea, si imbecillitas ad laborandum comprobetur; 3) ut subsidia comparentur singulis opificibus cum filiis, qui nondum ad decimum quartum aetatis annum pervenerint; 4) ut morbis provideatur singulorum opificum, qui in anno stipendium mille et octingentarum pesetarum non attingant, deductis annonae caritate aliisque forte additis extraordinariis auxiliis; 5) ut morbis prospiciatur artem profitentium.

Generatim huiusmodi pecuniae collationes sunt mixtae: conferuntur enim a rei publicae Praepositis, ab operarum conductoribus atque ab opificibus.

Providentia in bonum Cleri consociationi commissa est peculiari, illis Sacerdotibus destinata, in quam qui vult sollummodo adscisciturr. Praeterea extant in variis locis societates, praecipue ad Clero subveniendum, qui senio aut inepta valetudine laboret. Peculiari memoria digna videtur Matritensis consociatio « *San Pedro de los naturales* » et Hispalensis « *Los Venerables* ».

In Anglia, uti constat, supremum reperitur Consilium cautionum publicarum (*National Insurance Board*), omnibus oeconomicis praestationibus dandis praepositum, ac supremum Consilium sanitati publicae tuendae (*Public Health Board*), quod gratuito titulo operariis morbo laborantibus auxilium fert, qui aliam non habeant cautionem.

In Americae Septemtrionalis provinciis foederatis, omni bono locupletibus, est solummodo providentiae institutum quoad infirmam valetudinem et subsidia procuranda operariorum familiis vita functorum. Quem in finem in unaquaque provincia arcae peculiares cautionum foederatarum (*Federal trustee insurance Banks*) constitutae sunt, supremis rei publicae administris rem moderantibus.

Cautio contra morbos, quae obligationem secumferat, non habetur: reperiuntur tamen arcae liberae satis curatae ad morbis medendum (*Banks*), quibus sponte adhaerent opifices ac privati homines divitiis affluentes. Adsunt praeterea quamplurimae privatae societates cautionum, quae spondent, minimo pretio, satisfactiones maximas in necessitatis casu: memoriaque dignae sunt consociationes mutuae, apud quas, qui cautione pollet, directe quoque participat fructus inde perceptos.

Quod autem ad nos propius attinet, in Americae Septemtrionalis provinciis foederatis recolendam censemus institutionem peculiarem « *The catholic Church extension Society of the United States* », quae, ipsa Apostolica Sede approbante, ephemeridem suam « Extension Magazine » edit; atque, inter nobilia Ecclesiae sublevandae incepta, nobilissimum illud adnumeratur, quo Sacerdotes indigentes iuvantur. Quae instituto, felici roborata exitu Americae provinciarum foederatarum, et in Canada in rem deducta est.

In Italia vero variae habentur Institutiones (*Istituto Nazionale*

per la Previdenza Sociale, Istituto Nazionale Assicurazioni contro gli infortuni sul lavoro, Istituto Nazionale contro le malattie), quibus ex lege devolvuntur pecuniae collationes tum operarum conductorum tum opificum. Ad ipsas accedunt pleraeque institutiones (*Enti*) providentiae et auxilii, quae res publica tuetur, quibusque accensentur operarii procurationibus seu administrationibus ipsis affinibus operam dantes: eae medicinas et chirurgi operae necessaria spondent suppeditantque. Praeterea aliae habentur, quae, more familiae conditae, ab Instituto Nationali (*Istituto della Previdenza Sociale*) pendent et subsidia ac remunerationes opificum propinquis impertiunt.

Res sociales, quae dignae apparent adiumento in inepta valetudine, tam temporaria quam perpetua, ad opera exsequenda, potissimum e senectute oriuntur, summopere consideranda ac fovenda, cum paupertas tunc plerumque irreparabilis sit viro, qui, iuxta naturales et evangelicas leges, congrua meritaque requie honestari deberet.

Quod ad Clerum spectat, est Institutum pensionibus Clero assignandis praepositum (*Monte Pensioni per il Clero*), anno millesimo mongentesimo quadragesimo primo conditum apud *Istituto Nazionale delle Assicurazioni* ad Clericos et Religiosos utriusque sexus in Actione Catholica adlaborantes iuvandos ac deinde ad universum Clerum extensum. Huiusmodi pensionum cumulus, ut Instituti leges praescribunt, est unius cleri consociati; quapropter fructus omnes ad aerarium augendum devolvuntur, quota parte non excepta ex Instituti Nationalis fructibus (*Istituto delle Assicurazioni*) habita. Per idem praeterea consulitur pensionibus dandis in perpetuae ineptae valetudinis aut senectutis vel in mortis casibus, praebeturque Sacerdotibus opportunitas auxilio medico gratuito titulo fruendi ab Instituto ipso praestito atque peculiaribus adiumentis in curationis stationibus collatis.

Immorandum autem in mediis suggerendis hisce pro casibus non censemus, cum nostrum sit de hoc loqui uno oculorum obtutu; aliorum vero erit singulatim recensere specimina et evolvere principia, quae aptiora videantur. Solum in memoriam revocare volumus aliquando principium adhiberi partitionis tributorum tempore statuto collectorum, quibus oneribus stato tempore obvenientibus satis fieri debet. Generatim hoc tempus est unius anni, quod satis est ad colligenda e sodalibus vel ex aliis tributa sufficientia ut consulatur anni currentis expensis. Cum agatur plerumque de periculis, quae una cum sodalium aetate augentur, tributa, necessario, quotannis multiplicantur. Est autem collocandi pecuniam modus, quo ea tributa praescribuntur, per quae oneribus quoque futuris obtemperari possit: at in utroque casu quo maior est sodalium nu-

merus eo minus evadit onus a singulis adimplendum. Forma cautionis debitae ad morbis cavendos ius confert ad curam sodalium eorumque propinquorum et ad quotidianam remunerationem, infirmitate perdurante, necnon ad eiusdem remunerationis incrementum pro personis sustendandis ab ipsis sodalibus. Quibus beneficiis opifici affulget satis tranquillitatis in officio sociali explendo.

Supervacaneum est animadvertere quaestionem ipsam, ad Clerum quod attinet, solvi non posse, nisi ratio habeatur non modo singulorum necessitatis verum etiam praesertimque capacitatis pecuniae coacervandae ad superandas, debitis positis institutionibus, necessitates, quae cum defectu laboris, ex integro vel ex parte, conectuntur.

Praepositis igitur singulis institutionibus sacrum incumbit officium auxilii adeo praestandi operario ut ipse possit idoneos virium suarum fructus in bonum societatis conferre.

Quapropter Christi Vicarius et christiani populi Parens, corde suo dolores anxietudinesque omnium et miseriam referens, normam de hac tanti ponderis re tradidit; eique undique iam obviam venire libenter animadvertimus.

SERAPHINUS DE ANGELIS

DE ENCYCLICA « HUMANI GENERIS »

Encyclica *Humani generis*, quae vix a decem mensibus prodiit, innumeros iam habuit commentatores. Omnes fere periodici catholici philosophiae aut theologiae, aut etiam universalioris indolis, unum saltem articulum encyclicae exponendae ediderunt. Nonnulli seriem quamdam curaverunt studiorum de Encyclica, sive in uno fasciculo collectam, sive in successivis numeris periodici distributam [1]. Ipse magnus numerus commentariorum ostendit speciale momentum huius gravis documenti bene perspectum esse. Initio quidem, unus vel alter tentavit sensum ei tribuere minus significantem, quasi finis eius fuisset non grassantes iam errores damnare, sed solum periculum plus minusve remotum hos in errores delabendi. Plerique tamen gravitatem et opportunitate apostolicae exhortationis intellexerunt, quam proinde attente et non raro diffuse exposuerunt. Non semel litterae encyclicae *Humani generis* Pii XII cum illis *Pascendi* Pii X collatae sunt.

Nobis autem hic restare non videtur nisi ordinem encyclicae breviter describere et praecipua quaedam puncta indicare ad quae commentatores maxime attenderunt.

Qui primum de encyclica locuti sunt imitati sunt temperamentum quo usus est Summus Pontifex, contentique fuerunt ipsas doctrinas referre et damnare, tacitis auctorum nominibus. Postea tamen aliqui, suo quisque periculo, et nomina posuerunt [2], ad quos recurrat, qui voluerit.

Ordo rerum in encyclica perspicuus est. Commemoratis et reprobatis erroribus qui extra Ecclesiam divulgantur, et qui sub nomen venint materialismi, evolutionismi, idealismi, existentialismi; Pontifex dolet quod aliqui incauti catholici scriptores influxum subierint horum systematum, vel etiam aliquid sumpserint de protestantico illo spiritu, quo Dei auctoritas ex una parte summe extollitur, sed ex altera parte ruinosus agnosticismus gravisque despectus naturalis luminis profertur. Decepti falso studio pacis, seu imprudenti irenismo, dum concordiam quaerunt cum adversariis, veritatem obscurant vel minuunt.

---

[1] Ita « *Euntes docete* », 1951, fasc. 1-2, Romae, Editiones Urbaniae, p. 254; « *Doctor Communis* », 1951 (sub prelo); « *Rivista di Filosofia neo-scolastica* »; « *La Nouvelle Revue Théologique* » etc. Quaedam bibliographica indicantur in fine fasciculi « *Euntes docete* », pp. 247-251.

[2] Parente P., *Struttura e significato storico-dottrinale dell'Enciclica* in « Euntes docete », 1951, pp. 23-45; « Perrico A., S. J., in « Divus Thomas (Piac.) », Oct.-Dec. 1950.

Ita factum est ut quidam damnoso relativismo indulgerent, aestimantes notiones atque formulas, quibus concilia et Summi Pontifices dogmata nostra exprimunt, cum tempore mutari, mutantibus conditionibus rerum philosophicisque systematibus. Contra quos affirmatur permanens auctoritas magisterii ac speciatim actuum Romani Pontificis. Affirmatur pariter auctoritas Sacrae Scripturae sive contra illos qui tantum retinent sensum divinum quem dicunt, derelicto sensu humano; sive contra illos qui litteralem sensum deprimunt prae spirituali quem liberius fingunt. Tandem decem fere errores enumerantur, quasi pessimi fructus tendentiarum novarum: impossibilitas demonstrandi Deum sine auxilio revelationis, necessitas creationis mundi, negatio divinae praescientiae actuum nostrorum liberorum, dubia de personalitate angelorum et de differentia essentiali materiam inter et spiritum, repugnantia naturae intellectualis non elevatae, perversio notionis peccati et satisfactionis vicariae Christi, denique novus conceptus transubstantiationis ad symbolismum quemdam pertinens; necnon negatio identitatis inter corpus mysticum Christi et Ecclesiam catholicam Romanam. Adde quod aliqui enervant doctrinam de necessitate pertinendi ad Ecclesiam ut quis salvetur, nec desunt qui signa credibilitatis rationabilia esse negant.

Quemadmodum origo errorum illorum ex influxu falsorum systematum habetur, ita remedium mali in reditu ad traditionalem philosophiam reponitur. Stant enim principia quaedam immutabilia, quorum ope naturale rationis lumen ad fundamentales veritates pervenit, ut sunt existentia Dei, dictamina legis moralis, fundamenta fidei. Ad quae lumina servanda et defendenda mire iuvat doctrina Sancti Thomae, in qua clerici omnes sunt instituendi, et quae, nedum antiquata sit, mire aptatur ad necessitates nostri temporis, cum sive intellectui sive voluntati suas cuique partes aequo iure assignet.

Quibus expositis, Summus Pontifex modum decernit sese habendi in duabus quaestionibus quae ad originem hominis pertinent. Dummodo teneatur animam humanam a Deo immediate creari et exigentiis satis fiat quae ex Sacra Scriptura attente considerata et ex Sacra Theologia exsurgunt, atque paratus quisque sit sententiae Ecclesiae sese submittere, licet inquirere utrum Deus primum corpus hominis ex anorganica materia formaverit an ex materia iam animata. At polygenismus excluditur, qui admitteret exstitisse post Adamum homines ab illa generatione non provenientes ac proinde peccatum originale ab illo non trahentes. Ex quo etiam patet libros historicos Veteris Testamenti non esse nimia libertate exponendos, nec ad mythicam narrationem reducendos, sed accipiendos ut vera

facta narrantes, quamvis populari et figurato stylo, atque peculiari methodo illius temporis et gentis.

Commentatores Encyclicae satis concorditer quaedam puncta ut praecipua notaverunt et evolverunt, quae utile ducimus simul recolere.

Doctrina quae forte maxime inculcatur ea est quae de magisterio agit [3].

Formulae enim quibus a magisterio vel a traditione theologica sub magisterii directione adlaborante, dogma declaratum ac definitum est pronuntiantur valere pro omni tempore et pro omni statu culturae, neque illis sunt aliae incaute sufficiendiae: « Neglegere vel reicere vel suo valore privare tot ac tanta, quae pluries saeculari labore a viris non communis ingenii ac sanctitatis, invigilante sacro Magisterio, nec sine Sancti Spiritus lumine et ductu, ad accuratius in dies fidei veritates exprimendas mente concepta, expressa ac perpolita sunt, ut eorumdem in locum coniecturales notiones sufficiantur ac quaedam fluxae ac vagae novae philosophiae dictiones, quae ut flos agri hodie sunt et cras decident, non modo summa est imprudentia, verum etiam ipsum dogma facit arundinem vento agitatam » [4]

Quod autem ad magisterium ordinarium attinet, de eo etiam valet: « Qui vos audit me audit ». Si in controversia quadam Summus Pontifex data opera unam sententiam eligit, aut si de fontibus revelationis aliquam profert interpretationem, causa ut finita habenda est.

Neque per hoc munus rationis minuitur. Contra, commentatores multi ut quoddam praecipuum in encyclica exhibent quod in ea virtus naturalis luminis multum defendatur. Significantes enim sunt loci in quibus principia philosophica commendantur, facultas vindicatur attingendi veritates necessarias ad rectam humanae vitae gubernationem, omnis relativismi forma debellatur. Tantummodo memores esse debent homines conditionis suae et grati erga Deum, qui gratiis suis externis et internis eos adiuvat ut etiam naturalem rationis usum recte servent nec sinant sibi fuligine passionum vel praeiudiciorum oculos mentis obnubilari. Ceterum valor sacrae theologiae qui tam clare agnoscitur in laudem cedit humanae rationis, cuius partes sub ductu fidei in expositione sacrae doctrinae omnino praestant. « In comperto est quanti Ecclesia humanam rationem faciat, quod pertinet ad existentiam unius Dei personalis certo de-

---

[3] Vide Labourdette M., O. P., *Les enseignement de l'Encyclique,* in Revue Thomiste, 1950, pp. 37-39; - Cf. Gregorianum XXXI (1950), pp. 529-530. - Browne M., O. P., in dissertatione adhuc sub prelo (« Doctor Communis » IV (1951) ad hanc doctrinam de magisterio fuse exponit.

[4] AAS, 1950, p. 567.

monstrandam, itemque ad ipsius christianae fidei fundamenta signis divinis invicte comprobanda, parique modo ad legem, quam Creatur animis hominum indidit, rite exprimendam; ac denique ad aliquam mysteriorum intelligentiam essequendam eamque fructuossimam ». [5]

Inde est quoddam a multis notatum in encyclica nempe frequens monitum ne quis imprudenter innovetur. Non pauci enim thesauros veritatis iam acquisitos nec multum considerant nec magni faciunt novitatis amici magis quam veritatis. Ex quo « improbando veritatis desiderio », [6] omnia fere mala proveniunt quae in encyclica detestantur.

Cum doctrina litterarum *Humani generis* clare et distincte proponatur, commentatores fere in omnibus conveniunt. Notandum est tamen quosdam fuisse, maxime in initiis, qui timentes ne alii « integrismo », qui dicitur, « induulgentes, ad se conarentur trahere verba Pontificis, latiores aliquando interpretationes ipsi tentaverint; dum ceteri encyclicam accipientes ut viam rectam et apertam inter Charybdim et Scyllam, eam tranquille sicuti est exposuerunt.

Quaedam etiam dubitationes habitae sunt circa ea quae dicuntur de evolutionismo et de polygenismo, cum tamen verba Summi Pontificis sint luce solis clariora: Utrum Deus corpus hominis formaverit ex materia anorganica an ex materia vivente non prohibetur inquirere, dummodo non dicatur esse hodie omnino certum quod incertum est, et in inquisitione ratio habeatur veritatum ad fidem pertinentium; sit deinde unusquisque paratus ad obsequendum Ecclesiae, si quando ipsa in hac materia aliquid determinabit. Unde nec scientifica et theologica inquisitio prohibetur, nec catholico et maxime sacerdoti licitum est nisi cum prudentia et moderatione hanc quaestionem tractare.

Fuit qui censuit theologis licere post encyclicam inquirere utrum revera transmissio peccati originalis pendeat ab unitate protoparentis: cum tamen Romanus Pontifex explicite hanc asserat dependentiam, recolendo quid sit tenendum de peccato originali: « quod procedit ex peccato vere commisso ab uno Adamo, quodque generatione in omnes transfusum inest unicuique proprium » [7].

Omnino addendum est Pontificem in encyclica *Humani generis* intentionem non restrinxisse ad profligationem errorum, sed etiam voluisse christianis scriptoribus animum viresque augere ut verum et beneficum progressum scientiae promoverent. Quod apud commentatores plures invenies notatum [8].

---

[5] *AAS*, 1950, p. 571.
[6] *AAS*, 1950, p. 565.
[7] *AAS*, p. 1951, p. 576.
[8] Cfr. Callaey Fr., in Euntes » docete », 1951, pp. 72-75; - « Humanitas », 1950, p. 1049; - Colombo C., in « La Scuola Cattolica », 1950, p. 428.

Nam monentur theologi et philosophi catholici ne aberrantia systemata negligenda esse putent: « Quin immo ipsi easdem opinationes perspectas habeant oportet, tum quia morbi non apte curantur nisi rite praecogniti fuerint, tum quia nonnunquam in falsis ipsis commentis aliquid veritatis latet, tum denique quia eadem animum provocant ad quasdam veritates, sive philosophicas sive theologicas, sollertius perscrutandas ac perpendendas » [9]. Ubi traditionalis philosophia commendatur, simul dicitur: « Etiam in huiusmodi essentialibus quaestionibus, philosophiam quidem aptiore ac ditiore veste induere licet, efficacioribus dictionibus communire, quibusdam scholarum adminiculis minus aptis exuere, sanis quoque quibusdam elementis progredientis humanae lucubrationis caute locupletare » [10]. Dummodo intra veritatis limites se contineant, « nitantur utique omni vi omnique contentione ut disciplinas quas tradunt, provehant » [11].

Denique omittere non licet, quod sive in contionibus sive in scriptis de encyclica saepe expressum est, auram quamdam serenitatis et pacis, quae encyclicam pervadit et inspirat. Non iam in ea de temporaneis mutabilibusque negotiis, sed de veritate servanda et diligenda, de revelatione Dei sancte et integre accipienda, de aeternis animarum bonis promovendis. Faxit Deus ut ex praestantissima illa encyclica, sicut aliquis optavit, aurea sacrae theologiae aetas oriatur.

CAROLUS BOYER S. I.

---

[9] *AAS*, 1950, pp. 563-564.
[10] *AAS*, p. 572.
[11] *Ibid.*, p. 578.

DE INTERPRETATIONE CAN. 83 MOTU PROPRIO « CREBRAE ALLATAE SUNT ».

Inter maiores differentias quae existunt inter canones matrimoniales Codicis I. C. et canones Motu proprio *Crebrae allatae sunt* anno 1949 pro Ecclesia Orientali promulgatos, ea esse videtur quae spectat matrimonium sub condicione initum. In can. 1092 C. I. C., ut notum est, accurate variae species condicionum distinguuntur et quae vis singulis tribuenda sit, indicatur. Canon 83 vero M. P. breviter edicit: *Matrimonium sub condicione contrahi nequit.*

Hanc diversitatem nuper duo egregii iuris civilis et canonici periti investigare susceperunt lucubrationibus in bene merito periodico *Ephemerides iuris canonici* editis. Contradictorio vero modo can. 83 interpretantur. Cl. H. Graziani enim censet, omnibus consideratis movam normam non multo discrepare a priore, in Codice I. C. stabilita (1). Contra cl. I. Galassi iudicat vi can. 83 omne matrimonium sub condicione initum esse nullum. (2).

Ut de his sententiis iudicium ferre valeamus, breviter argumenta utriusque scriptoris proponenda sunt. Secundum Graziani legenti can. 83 statim duae interpretationes oppositae se offerunt: textus significat aut omnes condiciones cuiusvis speciei pro non adiectis habendas esse propterea quod matrimonium, actus legitimus cum sit, neque diem neque condicionem recipit, ideoque, etiam non verificata condicione semper valet; aut e contrario, matrimonium adiecta condicione semper vitiari, ita ut qualibet condicione posita, semper nullum habendum sit. Secundum Graziani prior sententia non potest admitti, cum in hac hypothesi Ecclesia supplere deberet consensum deficientem, quod secundum canonem 1081 § 1 nulla humana potestas efficere potest. Sed neque simpliciter affirmari potest matrimonium appositione cuiuslibet condicionis statim nullum reddi. Nam ita in multis casibus matrimonium invalidum esset in quibus consensus matrimonialis perfecte adest, cum eventus verificatus sit aut exsistat quod subest condicioni impropriae (v. g. de praeterito vel de praesenti). Quomdo haec denegatio efficientiae consensus conciliari posset cum principio « matrimonium facit consensus », aut cum « favore matrimonii »? Si humanus legislator neutiquam potest defectum consensus supplere, neque consensum (si adest) profecto ignorare potest. Ut autem vis normae can. 83 datae accurate definiatur, notandum est, etiam in iure latino, appositionem condicionis, si non

---

[1] *Matrimonium sub condicione contrahi nequit*, t. VI (1950) pp. 211-230.

[2] *Il matrimonio condizionato nel diritto canonico orientale secondo la nuova disciplina*, ib. pp. 231-238.

prohibeatur, tamen neque permitti, nisi ex gravi causa et de licentia Ordinarii, facta mentione condicionis in ipso matrimoniorum libro. Hanc facultatem concedendi licentiam ut matrimonium sub condicione honesta contrahatur, legislator Hierarchis orientalibus ademit. Haec dumtaxat est immutatio, secundum Graziani, quam Motu proprio introduxit. Probare quoque vult auctor reliqua quae in can. 1092 statuuntur esse superflua, cum § 1 potius quam praesumptionem veram et propriam contineat regulam, iudici dicatam, pro probationibus contra matrimonium allatis aestimandis, ideoque agatur hic de regula iuri substantivo prorsus extranea; § 2 vero nil contineat quod non statutum sit in can. 1086 § 2; § 4 quae de condicione de praeterito vel de praesenti ordinantur, iam can. 104 C. I. C. definita sint; § 3 autem de condicione de futuro licita vix applicationem habeat. Nam cum matrimonium a sponsalibus distinguatur eo quod hic de statu matrimoniali futuro cogitetur, illic vero intentio habeatur vitam communem statim instaurandi, « prorsus absurdum est, quod quis, dum iniit matrimonium, non autem sponsalia, verba nempe, proferens de praesenti consensum matrimonialem exprimentia, velit, ut ipsa ratio condicionis suspensivae postulare videtur, totum suspendere statum matrimonialem (matrimonium prout in facto esse), donec eventus incertus verificetur: et hoc ‚quin jus suum satius quam per sponsalia ipse tueatur! » [3].

Auctor alterius dissertationis, I. Galassi, consensit cum Graziani cum negat legis latorem supplere valere consensum partium, sed ab eo dissentit, si hic affirmat legislatorem ecclesiasticum neque negligere posse consensum exsistentem. In multis enim casibus, in quibus consensus partium exsistit, tamen ex lege ecclesiastica matrimonium non perficitur, quia desunt alia ab Ecclesia praescripta quae spectant v. g. capacitatem partium, absentiam impedimentorum, observantiam formae celebrationis ad validitatem praescriptae etc. Huc pertinet quoque defectus efficaciae consensus vi vel metu gravi affecti qui secundum plerosque originem habet ex iure ecclesiastico. Unde Galassi concludit posse legislatorem negare vim consensui partium. Queritur autem num id voluerit, cum contractus matrimonialis initur sub condicione. Ex sola voce « nequit », ut recte fatetur Galassi, argumentum fieri non potest, cum haec vox de sola illiceitate intelligi possit. Neque admittit observationem Sanchesii a Graziani repetitam, secundum quam adiunctio condicionum incompatibilis est cum principio formae substantialis celebrationis matrimonii. Nam id eo refutatur, quod in C. I. C. can. 1092 appositio condicionum certae speciei admittatur, quamquam can. 1094 ss. certa matrimonii celebrandi forma praescribatur. Ipse

[3] p. 229

vero censet ex consideratione naturae matrimonii tamquam actus legitimi argumentum deduci posse quo quaestio proposita solvatur; quod hac ratione proponit.

Secundum ius canonicum forma matrimonii consistit in manifestatione consensus (coram testibus vel sine illis) qui necessario obiectum determinatum habet. Ex natura matrimonii tamquam actus legitimi — i. e. qui non in arbitrio partium est, sed secundum determinationem legis perfici debet — definitur etiam forma, quae est monosyllabica et in se completa (« si » — lingua italica — in responsione ad interrogationem sacerdotis). Actus voluntatis extranei a forma substantiali, sive partium sive aliorum vim negativam habere possunt quod consensum spectat, i.e. possunt destruere consensum (simulatio) vel auferre eius effectum (metus gravis), sed non possunt habere effectum positivum ac si novum negotium iuridicum a legitimo negotio diversum constituere valerent, cuius obiectum diversum esset ab obiecto a lege considerato et cuius forma additamentum contineret — sive in ipsa celebratione sive extra eam —. Propter hanc rationem adiectio condicionis constituit semper simulationem et, si in celebratione exprimatur etiam vitium formae. Hoc vero salva lege quae permittere potest talem adiectionem et, si permittit, neque simulatio neque vitium formae habetur. In casu nostro autem per canonem 1092 tales appositiones condicionum agnoscuntur, seu, aliis verbis, praeter negotium iuridicum typicum alia forma et obiectum diversum admittuntur. Idcirco in iure latino matrimonium sub condicione iniri potest. Non vero in iure orientali, quia can. 83 omnes eiusmodi condiciones reciiuntur. Immo de se inutilis esset can. 83 — nam secundum principia supra exposita ex sola omissione can. 1092 sequeretur appositionem condicionum esse contra legem ideoque vitiare matrimonium —, sed hic canon assumptus est ne dubium maneret de abrogatione legum anteriorum quibus pro aliquibus ritibus orientalibus appositio condicionum permittebatur.

Exposuimus hucusque quid de interpretatione can. 83 auctores lucubrationum de quibus supra, senserint. Quid ad haec est respondendum? Loquemur primo de sententia eorum qui can. 83 nullitatem matrimonii sub condicione initi stabilire iudicant [4]. Argumentatio nititur tota in regulis quas Galassi de actibus legitimis proponit.

---

[4] Eandem interpretationem proposuerunt etiam cl. V. Del Giudice, *Qualche considerazione sulle condizioni del futuro di cui nel can. 1002, n. 1, del Codex iuris canonici*, *Il Diritto Ecclesiastico*, t. LX (1949) p. 307. n. 1 et cl. Orio Giacchi, *Il consenso nel matrimonio canonico*, Milano 1950, p. 133, n. 1. Haec interpretatio ex parte saltem provocata esse videtur ex facto narrato a Card. Gasparri, *Tract. can. de matrimonio*, t. II, p. 73, n. 2: Ex actis praeparatoriis ad Codicem constat Consultores egisse de irritando matrimonio sub qualibet conditione inito

Quaerendum est quam auctoritatem hae regulae habeant. Certe non sunt iuris naturalis, sed sunt regulae quae ex rei natura eruuntur, quae logice sequi videntur ex certis normis iuridicis. Tales regulae de se nullam auctoritatem legis habent; sed illam acquirunt tantum si iure positivo agnoscuntur aut si ipsae exprimant quae iam iure positivo statuta sunt. Probandum igitur esset etiam iure canonico regulas ab auctore propositas receptas esse quod non facilis exsecutionis est. Notum enim est secundum ius canonicum etiam in administratione sacramentorum — qui sunt actus legitimi praecipui — condiciones apponi posse quae generatim, sane, de praesenti, sunt; sed neque si condiciones minus aptae vel minus prudentes appositae sunt, canonistis validitatem sacramenti negare propter solam appositionem condicionis in mentem venit.

Sed quidquid est de receptione harum regularum in iure canonico latino, totum fundamentum argumentationis solidum non est. Nam ita proponi potest: Ecclesia universalis initio tenebatur his regulis. Dein Ecclesia latina admittens appositionem condicionum limitavit vim harum regularum quod ad matrimonium attinet. Ecclesia vero orientalis, quae in can. 83 appositionem condicionum reiecit, his regulis regi pergit. Haec est constructio abstracta et fictitia. Nam notum est ius matrimoniale in utraque Ecclesia, latina et orientali, prorsus independenter et ratione sat diversa efformatum esse. In utraque Ecclesia de condicionibus in matrimonii celebratione admittendis ne cogitaverunt quidem per multa saecula. In Ecclesia latina mutatio facta est cum, renovato fervore studiorum iuris Romani, iuris periti matrimonium sub conceptum contractus comprehendere — quod omnino alienum erat a traditione classica et postclassica Romana — eique regulas pro contractibus statutas applicare coeperunt [5]. In Ecclesia autem orientali, quemadmodum antea condiciones non admiserant, ita usque ad recentissima tempora eas negligere perrexerunt [6]. Non igitur consensum appositione

---

et P. Wernz redegisse relativum canonem quem omnes Consultores, Praeside non excepto, probaverunt.

Sed postea canon redactus disparuit et loco ipsius can. 1092 positus fuit quin de hac re amplius mentio fiat in actis. Ceterum iure insignis prof. Universitatis Romanae animadvertit ne irritatione matrimonii sub condicione initi quidem omnes difficultates solvi.

[5] Cf. Astorre Oddi-Baglioni, *Il matrimonio condizionato*, Padova 1938, pp. 8 ss.; Riccardo Orestano, *La struttura giuridica del matrimonio*, Bullettiuo dell'Istituto di diritto Romano. t. XLVII (1940), pp. 172 ss.

[6] Joseph Zhishman, *Das Eherecht der orientalischen Kirche*, Vienna 1864, p. 612: « Nur das bürgerliche Verlöbnis kann unter einer Bedingung geschlossen werden, während das bedingte kirchliche Verlöbnis, so wie die bedingte Eheschliessung dem Begriffe der orientalischen Kirche widerstreiten. Denn da in ihr die Ehe erst durch die kirchliche Form den Abschluss und die Giltigkeit erhält, so kann

condicionis vitiari, sed ipsam condicionem semper vitiari iudicaverunt. Inter multas causas coram tribunalibus ecclesiasticis et civilibus tractatas quarum acta ad nos pervenerunt, omnino exsulant causae nullitatis propter adiectionem condicionis non verificatae. Tantum recentioribus temporibus Orientales catholici unius alteriusve ritus influxum latinum subierunt et normas in iure latino vigentes decretis conciliorum proprii ritus transumpserunt. Ita Rumaeni, postquam in primo concilio provinciali (a. 1872) nullam de condicionibus mentionem fecerunt, in altero (a. 1882) breviter quaedam principia ex iure latino desumpta proponunt [7] Aplius de hac re loquuntur Patres concilii Sciarfensis Syrorum (a. 1888) [8]; contra, in concilio Alexandrino Coptorum cuius redactores in multis textum concilii Sciarfensis secuti sunt, de condicionibus verbum habetur. Inter omnes synodos orientales maxime accuratas normas proponit concilium Romanum Armenorum (a. 1911) [9]. De hac re silent vero synodi Melkitarum plures, (saltem quatenus earum acta typis edita sunt), et Instructio quoque S. C. S. Officii anno 1883 data. Ceterum erraret qui concluderet his additamentis probari hodie etiam apud Orientales catholicos matrimonium sub condicione iniri solere. Etsi hodie propter maiorem facilitatem commercii cum aliis regionibus et penetrationis idearum occidentalium in regiones orientales casus matrimonii sub condicione initi facilius occurrit, tamen generatim Orientales sive catholici, sive vel magis acatholici traditam disciplinam in hac re servant.

Iam vero nobis aditum praebent ad nostram interpretationem can. 83 proferendam. In primis vero animadverto interpretationem iuris canonici sequi debere regulas et normas ab ipso iure canonico statutas, quemadmodum in iure civili interpretatio fieri debet secundum normas in iure civili receptas. Neminem autem latet ius canonicum propter specialem suam indolem non eadem ratione tractari posse qua ius civile. Quamquam enim Ecclesia legitimum scientiae progressum libenter admittit, tamen ex altera parte traditionem summi facit et in legibus nexum cum anteriore disciplina servare solet. Propterea v. g. in C. I. C. can. 6 accurate definitum est qua ratione canones ex iure anteriore interpretandi sint. In Motu proprio de disciplina matrimonii pro Ecclesia Orientali non pauca desumpta sunt ex Codice I. C. et sine dubio secundum interpretationem huius

---

den Contrahenten die Einsegnund nicht anders als auf Grund ihrer unbedingten Einwilligung ertheilt werden ». Idem Josephus Papp-Szilágyi, Enchiridion juris Ecclesiae orientalis catholicae, M. Varadini 1862, § 119, p. 469: « In Ecclesia Orientali matrimonia cum conditione inita in usu non sunt ».

[7] Tit. IV, sect. I, cap. II, § 5, *Mansi*, t. 45, col. 724.

[8] *Synodus Sciarfensis Syrorum*, Roma 1896, Cap. V, art. XV, § 3, n. 6, p. 167.

[9] *Acta et decr. concilii nat. Armenorum*., Roma 1914, n. 566 s.

Codicis explicanda sunt. Cum enim, in ipso Motu proprio legitur, Episcopi orientales interrogati sunt ante huius documenti promulgationem an expedire videretur, ut « quoad fieri posset, ecclesiastica disciplina ad matrimonialia impedimenta et ad ineundi nuptialis foederis partinens unius tenoris redderetur », cuncti fere id asseveraverunt; tamen ad alia capita quod attinet, disciplinam orientalem sibi propriam ex toto auferri sine dubio noluerunt. Neque id ipsius legislatoris propositum erat, cum Summi Pontifices saepe declaraverint se nolle destructionem disciplinae orientalis; ceterum ex ipso Motu proprio id apparet. Nam in pluribus ius antiquum orientale in ipso MP translucet, v. g. quae attinent ad formam oralem sponsalium, (can. 6) ad publicationes matrimoniales iuri particulari relictas, (can. 12) ad limitationes in admittendo procuratore statutas, (can. 82) ad benedictionem sacerdotis ad validitatem matrimonii praescriptam (can. 85) etc. Quod autem spectat ad can. 83 et prohibitionem apponendi condicionem, ex ipso textu illiceitas potius quam invaliditas matrimonii contra hanc legem initi insinuatur, cum nulla clausula irritans addatur. Quod certum est, si consideratur hac ratione confirmari solummodo antiquissimam Orientis christiani traditionem. Idcirco concludendum est secundum M. P. semper vitiari conditionem, non matrimonium. Talis interpretatio concordat plene cum indole disciplinae matrimonialis orientalis, ut ex aliis canonibus quoque elucet. Actus enim quo matrimonium initur, considerari potest sub aspectu iuridico et sub aspectu religioso. Si prius fit, applicantur regulae ad contractum partinentes, salvis iis quae matrimonio peculiaria sunt. Id factum est praesertim in Occidente a saec. XII: propterea condiciones in actu matrimonii ineundi admiserunt. Si alterum, magna incongruitas et incompatibilitas habetur in addendis condicionibus, praesertim si ad ipsum actum assentialem multae aliae caeremoniae adduntur quae in tali casu omnes hypotheticae fiunt. Preces pro sponsis fusae, actus sybolici caronationis, processionis, ipsum sacramentum quod est actus honorandi Deum effectum tantum hypotheticum habent, si nempe condicio verificatur, v. gr. si socer in testamento, ut promisit, centum milia libellarum uxori staturus sit. Nil mirum quod talis usus condicionis sanctitati actus repugnare videtur ideoque Orientales qui in matrimonio ineundo in primis actum religionis respexerunt, condiciones adiectas nullo modo consideraverunt. Haec Orientalium indoles prae oculis habenda est ut recte intelligatur sensus quoque can. 83. Etiam in aliis canonibus hic aspectus religiosus sponsalium et matrimonii magis urgetur quam in C. I. C., quamquam, ut manifestum est, nulla essentialis differentia inter utrumque ius habetur. Ita in can. 7 urgetur benedictio sponsalitia, in can. 85 praescribitur ad validitatem matrimonii benedictio sacerdotalis, omissus

est can. 1102 § 2 C. I. C. quo omnes sacri ritus in matrimoniis mixtae religionis vel disparitatis cultus interdicuntur etc. Ceterum plures canonistae eandem sententiam proposuerunt ut cl. PP. A. Coussa [10], A. Wuyts [11], P. Galtier [12], G. Oesterle [13] d. Oldani [14] et Staffa [14a]; contra Mörsdorf amplexus est sententiam quae ex appositione condicionis nullitatem matrimonii deducit [15].

Hac ratione ad easdem fere conclusiones pervenimus atque cl. Graziani, etsi alia via usi simus [16]. Quae hic auctor in dicta dissertatione breviter, multo fusius et non sine magno acumine in aliis locis de condicionibus contractui matrimoniali adiectis disseruit [17], hic non examinanda sunt. Noto tantummodo quae de condicione de futuro licita dicit, licet falsa non sint, non satis fortasse indolem propriam huius condicionis illustrare eiusque momentum indicare. In certis enim casibus veram utilitatem praebet, ex gr. si iuvenis in bello ad arma evocatus qui in longinquas regiones se missum iri praevidebat, matrimonium contraxit, « si certum foret puellam ex copula quam cum ea habuerat praegnantem esse », ut ita honori matris et filii provideret.

Videntur quoque nobis quae Graziani affirmat de identitate « actus positivi contra substantiam matrimonii (can. 1086 § 2 C.I.C.), non plene attingere intentum eorum qui diversitatem « actus positivi » et condicionis nominatae propugnant. Quamquam hic quoque multa optime dicta sunt, ad plenam quaestionis tractationem considerandus esset casus in quo habetur ex una parte actus positivus, sed non contra substantiam, ex altera parte condicio eiusdem eventus quae est contra substantiam, vel ut clarius exemplo rem illustrem: qui habet intentionem contrahendi et sese obligandi, sed non utendi matrimonio, matrimonium valide contrahit; sed si condicionem ponit non utendi, condicionem contra substantiam appo-

---

[10] *De matrimonio*, Roma 1950, p. 179 s.

[11] *Le nouveau droit matrimonial des Orientaux. Nouvelle Revue théologique* t. VIII (1949) p. 837.

[12] *Le Mariage*, Beyrouth, 1950, p. 214 ss.

[13] *De consensu matrimoniali in jure pso Ecclesia Orientali. Il Diritto Ecclesiastico*, LXI (1959), p. 808.

[14] *Il diritto matrimoniale della Chiesa orientale. La Scuola Cattolica*, 1949, p. 354.

[14a] *De actu positivo voluntatis quo bonum essentiale matrimonii excluditur, Monitor Eccles.* t. I, (1949) p. 265, n. 13.

[15] Eichmann-Mörsdorf, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, t. II, Paderborn 1850, p. 223.

[16] loc. cit., p. 225 ss.

[17] *Contributo allo studio della condizione nel diritto matrimoniale canonico, Ephemerides Iuris canonici*, t. III (1947) pp. 457-504, 642-678; cfr. quoque *Il Diritto Ecclesiastico*, t. LXI (1950) pp. 410-427, 958 ss.

nit [18]. Hic casus autem maxime attentionem iudicis ad se trahit; nam si habetur tantum intentio, matrimonium valet, si habetur condicio non valet.

His vero per transennam dictis ad can. 83 revertamur. Quod ad contractum matrimonialem condiciones apponi licite nequeunt, ulteriores quaestiones non excludit. Quid enim si contra huius canonis praescriptum nupturientes sive alteruter, sive ambo consensum sub condicione dederint? Manifestum est, si deficiat consensus matrimonialis sive quod condicio verificata non est, sive quod de condicione contra substantiam matrimonii agitur, in foro interno et coram Deo matrimonium nullum esse; nam partium consensus « nulla humana potestate suppleri valet » (can. 72 MP). Quid autem de foro externo? In can. 1092 C. I. C. accurate statutum est quid in singulis condicionum speciebus servandum sit etiam ad forum externum quod attinet. Hic canon suppressus est in MP et in eius loco positus est can. 83 MP quo omnis condicionis appositio interdicitur. Inde facile quis concludet condicionem contra legem appositam in foro externo nulla ratione in considerationem venire [19]. Quamquam autem haec conclusio consequentia logica non caret, tamen dubium moveri potest idcirco quod Ecclesia dissidium inter forum internum et forum externum, quatenus fieri possit, vitare studet et tantum ex gravissimis causis illud tolerat. Accedit vero nunc alia ratio quae non minus gravis est: in can. 478 MP de Iudiciis pro Ecclesia Orientali definitur modo generali ius coniugum accusandi matrimonium nullum et haec norma sine dubio etiam in matrimoniis nullis propter appositionem condicionis servanda est. Id vel magis elucet quod can. 1971 § 1 C. I. C. [20], de quo multum disputatum est et pluries S. Congregatio de disciplina Sacramentorum et Pont. Commissio authent. interpret. egerunt, una cum responsis huius Commissionis quae in primis de matrimoniis sub condicione initis lata sunt, in can. 478 MP de Iudiciis transiit, qua re legislator sat clare manifestavit se in hoc canone orientali etiam de matrimoniis sub condicione initis statuere velle.

Dicitur autem in can. 478 § 1: « Habiles ad accusandum sunt: 1° Coniuges, in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi

---

[18] Cfr. F. Cappello, *De matrimonio*, ed. 6a, Romae 1950, pp. 580 ss., n. 601. Plures quoque sententiae S. R. R. huc faciunt, v. g. *Taurinen.*, 21 Maii 1948 coram Staffa, *Ephemerides iuris canonici*, t. IV, (1948), p. 486.

[19] Ita v. g. P. G. Oesterle, loc. cit., p. 808: « Codice Orientalium matrimoniali condiciones apponendas excludente omnis actio iudicialis in foro exteruo ex capite condicionis appositae est exclusa: pro foro interno omnia dependent circa validatem, uti bene notat Romani, a voluntate consentientis ». Opus citatum est S. Romani, *De matrimonio*, p. 684.

[20] De historia huius canonis v. ex. gr. S. R. R., *Romana*, 20 maii 1944, coram Canestri, *Ephemerides Iuris canonici*, t. II, p. 166 ss.

fuerint impedimenti vel, etiam alia ratione, nullitatis matrimonii causa directa et dolosa ». Ex hoc textu sequitur coniuges de se esse habiles ad accusandum matrimonium nullum, excludi tantum si fuerint nullitatis matrimonii causa directa et dolosa. Antequam autem quaeramus quinam coniuges sint causa directa et dolosa nullitatis matrimonii ex condicione apposita, praemitto nos hic non loqui de causa directa et dolosa *impedimenti* (sensu stricto); nam nobis hic sermo est tantum de nullitate matrimonii proveniente ex appositione condicionis (seu impedimenti sensu lato). Neque considerabimus condiciones contra substantiam matrimonii aut condiciones turpes non contra substantiam matrimonii quae in ipso iure latino illicitae sunt et ratione sui eundem effectum, quod ad accusationem matrimonii attinet, gignunt in utroque iure latino et orientali. Remanent igitur condiciones ex se licitae sive propriae sive impropriae (de praeterito et de praesenti), quae in iure latino permittuntur, in iure orientali interdicuntur. Quaeri potest utrum haec diversitas tractandi condiciones diversitatem ad accusationem matrimonii quod attinet producat? V. g. vir si matrimonium iniit apposita condicione, « si socer die stabilito dotem mulieris statutam solvet », condicione non verificata, debetne repelli ab accusatione nullitatis matrimonii? In primis tenendum est non omnes illicite condicionem apponentes esse semper causam directam et dolosam nullitatis; id iam apparet ex eo quod inter multas causas coram S. R. Rota agitatas ne unus quidem casus inveniri videtur [21] in quo coniuges licentiam Episcopi obtinuerunt (quod tamen ad liceitatem appositionis requiritur), neque ab accusando matrimonio reiecti sunt. Sed iam accuratius hanc quaestionem consideremus. In can. 478 § 1, n. 1 inhabiles declarantur coniuges ad matrimonium accusandum si causa directa et dolosa nullitatis exstiterint. Causa autem directa habetur, si quis aliquid immediate in se intendit; causa indirecta, si id non ratione sui et in se intendit, sed tantum in causa, immo effectum malum potius repellit in se, sed admittit tantum quatenus inseparabiliter coniunctus est cum aliquo effectu bono vel indifferenti qui efficaciter appetitur [22]. Causa autem dolosa adest, si volens agitur deliberata voluntate violandi legem (cf. can. 2200 § 1 C. I. C.); dolus non habetur ubi ex parte intellectus habetur defectus cognitionis, vel ex parte voluntatis defectus libertatis. Ut quis inhabilis ad accusandum matrimonii nullitatem habeatur, requiritur ut sit causa et directa et dolosa. Si prius tantum, non repellitur, ut si puella parum ante caeremoniam nuptia-

---

[21] Cfr. Graziani, *Ephem. Iur. can.*, t. VI, p. 226.

[22] Cfr. S, R. R., 20 maii 1944, coram Canestri, *Il Dir.. Eccles.*, t. LVII (1946), pp. 333 s.

lem a sponso audit se nullam velle prolem atque propter circumstantias a caeremoniis recedere non valens, externe quidem annuat, interne vero neget consensum [23]. Causa dolosa, contra, semper causa directa esse videtur [24].

Si hoc nunc ad condiciones de se licitas applicamus, liquet tales esse non posse eas condiciones quas quis ponit cum intentione directa et dolosa nullitatis matrimonii. Nam qui directe et dolose nullitatem matrimonii intendit, actionem in se graviter illicitam committit, condicio vero licita sive de praeterito vel de praesenti sive de futuro ex definitione sua *in se* licita est et tantum propter elementum externum, v. g. prohibitionem legis illicita evadit. Si qui dolus in talis condicionis positione nonnunquam inveniri potest, consistit in deliberata voluntate apponendi condicionem non obstante prohitione legis, non autem in deliberata voluntate nullitatis matrimonii quae sola ab accusatione excludit. Unde concludere licet coniuges orientales canone 83 non repelli ab accusatione nullitatis matrimonii nisi in casibus in quibus ipsi latini repelluntur seu, aliis verbis, condiciones contractui matrimoniali adiectas etiam in iure orientali non solum in foro interno sed etiam in foro externo attendendas esse [25].

AEMILIUS HERMAN S. I.

---

[23] Cfr. *Periodica de re mor., can. lit.*, t. XXXII (1943) pp. 114-117.

[24] Cfr. *Il Dir. Eccles.*, t. LVII (1946) p. 334.

[25] Quaeri potest cur in MP omissus sit can. 1092, si quae in eo praescripta sunt, pertinent etiam ad Ecclesiam Orientalem. Sed interdicta omni specie condicionum, non legislatoris erat enumerare varias harum condicionum species; hoc spectat potius ad scholam in qua stabilitur quid ex principiis positis in lege in singulis casibus deducendum sit.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

LEGISLAZIONE

IMMATRICOLAZIONE DEI SACERDOTI FRA LA GENTE DI MARE DI PRIMA CATEGORIA CON LA QUALIFICA DI « CAPELLANI DI BORDO ».

(*Decreto del Ministro per la marina mercantile 3 aprile 1951 - Gazz. Uff. 19 aprile, n. 90, p. 1197*).

Articolo unico. - In deroga al decreto ministeriale 9 giugno 1950, è consentita l'iscrizione nelle matricole della gente di mare di prima categoria, dei sacerdoti di età non superiore ai 40 anni, i quali abbiano gli altri requisiti prescritti dalle vigenti disposizioni e dimostrano il possesso della qualifica di « *cappellani di bordo* » in base ad attestazioni del Pontificio collegio dei missionari per l'emigrazione italiana.

DICHIARAZIONE DI MORTE PRESUNTA DI PERSONE SCOMPARSE IN SEGUITO A DEPORTAZIONE, AVVENUTA TRA L'8 SETTEMBRE 1943 E IL 25 APRILE 1945.

(*Legge 14 febbraio 1951, n. 103 - Gazz. Uff. 9 marzo 1951 n. 57, p. 698*).

Articolo unico. - La disposizione del secondo comma dell'art. 58 del Codice Civile non si applica per la dichiarazione di morte presunta di persone scomparse in seguito a deportazione avvenuta tra l'8 settembre 1943 ed il 25 aprile 1945.

In proposito giova richiamare:

1) Articolo 58 del Codice Civile.

Dichiarazione di morte presunta dell'essente.

Quando sono trascorsi dieci anni dal giorno a cui risale l'ultima notizia dell'assente, il tribunale competente secondo l'art. 48, su istanza del pubblico ministero o di taluna delle persone indicate nel capoverso dell'art. 50, può con sentenza dichiarare presunta la morte dell'assente nel giorno a cui risale l'ultima notizia.

In nessun caso la sentenza può essere pronunziata se non sono trascorsi nove anni dal raggiungimento della maggiore età dell'assente.

Può essere dichiarata la morte presunta anche se sia mancata la dichiarazione di assenza (Trans. 114) ».

LEGGE 3 GIUGNO 1949, N. 320 (*Gazz. Uff. 25/6/1949, N° 144*).

Dichiarazione di morte presunta di persone scomparse per fatti dipendenti dalla situazione politico-militare determinatasi dopo l'8 settembre 1943.

La camera dei Deputati ed il Senato della Repubblica hanno approvato;

Il presidente della Repubblica promulga la seguente legge:

Art. I° - Oltre che nei casi indicati negli articoli 58 e 60 del Codice Civile, può essere dichiarata la morte presunta quando taluno è scomparso in seguito ai fatti dipendenti dalla situazione politica militare determinatasi tra il 10/6/1940 e il 31/12/1945, senza che si abbiano più notizie di lui e sia trascorso almeno un anno dall'entrata in vigore del Trattato di Pace, ai sensi del decreto legislativo del Capo provvisorio dello Stato 28 novembre 1947, n. 1430.

La sentenza dichiarativa della morte determina il giorno e possibilmente l'ora a cui risale l'ultima notizia.

Qualora non possa determinarsi l'ora, la morte presunta si ha per avvenuta alle ore 24 del giorno indicato.

Art. 2° - Quando trattasi di militari dispersi durante la guerra 1940-45, se il ricorso iniziato è stato corredato della dichiarazione di irreperibilità del militare, rilasciata dalla competente autorità, e sempre che nello stesso caso non siano state presentate opposizioni ai sensi dell'art. 727 del Codice di procedura civile, il giudice istruttore ha facoltà di non eseguire la procedura istruttoria di cui all'articolo 728 del Codice predetto.

Art. 3° - Gli atti inerenti ai procedimenti per la dichiarazione di morte presunta dei dispersi nella guerra 1940-45, sono esenti da ogni spesa nonchè da tasse ed imposte indirette sugli affari.

I diritti spettanti agli uffici di cancelleria ed agli ufficiali giudiziari sono ridotti a metà.

Art. 4° - *La Gazzetta Ufficiale* della Repubblica ed il Foglio annunzi legali della provincia ove risiede l'autorità giudiziaria competente per territorio, sono obbligati ad eseguire le inserzioni relative ai procedimenti sopra indicati, per estratto, senza spese ed immediatamente dopo la richiesta: tali inserzioni potranno anche essere disposte per elenco mensile per ogni tribunale a cura degli uffici di cancelleria, e ciò in deroga alle prescrizioni dell'art. 728 del Codice di procedura civile in ordine alle pubblicazioni su giornali.

Art. 5° - Gli onorari spettanti ai procuratori legali sono ridotti alla metà di quelli fissati dal paragrafo IV° n. 71 della tabella B allegata alla legge 13 giugno 1942, n° 794, e dalle successive modificazioni. Agli effetti della liquidazione degli onorari, i procedimenti di cui alla presente legge si considerano di valore indeterminato.

Non sono ammessi onorari di avvocato.

I diritti di notifica spettanti agli ufficiali giudiziari sono ridotti alla metà.

Art. 6° - Quando ne concorrano le condizioni, la parte istante può essere ammessa al beneficio del gratuito patrocinio con decreto del presidente del tribunale.

LEGISLAZIONE DEL TERRITORIO LIBERO DI TRIESTE.

Dichiarazione di morte presunta di persone scomparse tra il 1940 ed il 1945 (Ordinanza Governo militare alleato 8 settembre 1949, n. 186).

LA LEGGE VINCOLISTICA IN RELAZIONE AGLI EDIFICI ANNESSI A CHIESE O AD ORATORI PUBBLICI.

Di Matteo F. Saverio, premesso di avere ereditato dalla madre insieme alla propria sorella Maria Teresa Di Matteo in Lopedote l'appartamento sito in Bari in via Napoli, 106/ p.p., ed assumendo la necessità di occuparlo, con atto di citazione 17-2-1949 conveniva dinanzi al Pretore di Bari il conduttore, il Sac. Don Gaetano Salomone, zio ex matre, per sentirlo condannare al rilascio.

Nel giudizio interveniva « ad adiuvandum » la sig.ra Maria Di Matteo Leopedote.

Costituitosi il rapporto processuale, Don Salomone eccepiva il suo diritto a rimanere nell'immobile per un duplice ordine di ragione:

1°) Perchè egli fondò nel 1934 — nella parte di immobile sottostante l'abitazione in parola — un oratorio pubblico, ed ex can. 1164 n. 2 C. I. C. « non è consentito adibire ad uso meramente profano i locali posti al di sopra di una Chiesa ».

2°) Perchè nel 1933 egli aveva verbalmente convenuto con la sorella Maria Angela Salomone — madre degli attori — « che in corrispettivo di un canone annuo e della cessione da parte del Salomone dell'area soprastante l'appartamento stesso » la ridetta Maria Angela cedeva al proprio fratello l'uso dell'alloggio de quo vita natural durante.

All'uopo il convenuto esibiva una dichiarazione di data 10-10-1944 con la quale gli istanti — in unione ad altri fratelli — comunicavano allo zio di essere a conoscenza del predetto accordo: ed esibiva, inoltre il decreto 2-2-1934 col quale l'Arcivescovo di Bari costituiva l'Oratorio pubblico di Cristo Re, nominando rettore ad vitam lo stesso Don Salomone.

Il Pretore con sentenza 12-12-1949 rigettava la prima eccezione perchè « il can. 1164 n. 2 C. I. C. non è recepito nel diritto civile italiano », ed accoglieva la seconda sotto l'aspetto che la dichiarazione esibita « se pure è idonea a creare un diritto reale di godimento nel convenuto, ben poteva — in applicazione della convertibilità dei negozi giuridici — rappresentare la prova di un contratto

di locazione novennale, « onde il diritto di Don Salomone di tenere in locazione l'immobile fino alla scadenza del novennio (10-10-1953).

Proponevano appello i Di Matteo con atto notificato il 22-2-1950 deducendo dinanzi al Tribunale di Bari che il documento 10-10-1944 conteneva soltanto una dichiarazione di scienza e non di volontà, e che — comunque — il documento stesso non conteneva i requisiti di forma e di sostanza proprii ad un contratto di locazione novennale.

Appellava incidentalmente anche Don Salomone sostenendo che l'alloggio « attualmente adibito ad uso di rettoria, ed occupato da lui quale rettore del sottostante oratorio pubblico non poteva — ex art. 831 cod. civ. per la sua particolare destinazione essere rilasciato, ed in linea gradata chiedeva la conferma della sentenza impugnata ».

Il Tribunale di Bari rilevato:

a) che per l'art. 817 capv. cod. civ. la casa del rettore non può ritenersi pertinenza dell'oratorio: che per l'art. 831 capv. cod. cit. non è conferito all'autorità ecclesiastica il potere di imprimere un vincolo di demanialità ecclesiastica senza o contro la volontà dell'avente diritto: che il canone 1164 n. 2 C. I. C. non è stato recepito nell'ordinamento giuridico italiano.

b) che l'atto 10-10-1944 ha valore di semplice dichiarazione di scienza da parte dei Di Matteo, onde per esso non può supplirsi alla mancanza dell'atto scritto richiesto « ad substantiam » dall'art. 1314 C. C. abrog. per le locazioni ultra novennali ».

Con sentenza 27 luglio 1950, notificata il 29 successivo, accoglieva l'appello principale, rigettava quello incidentale e condannava il Rev. Sac. Salomone al rilascio dell'appartamento.

Avverso tale decisione, Don Salomone ricorre a questa Suprema Corte, lamentando con tre mezzi:

1°) La violazione e falsa applicazione degli art. 831, 818, 817 C. C., perchè « neppure le pertinenze degli edifici destinati all'esercizio pubblico del culto cattolico possono essere sottratte alla loro destinazione », ed il carattere di pertinenza viene attribuita alla casa del rettore dal can. 1164 n. 2 C. I. C.;

2°) La violazione delle norme fondamentali in tema di eredità, in quanto i resistenti sono obbligati non solo per quanto essi abbiano dichiarato di volere sibbene anche in qualità di eredi, per quanto abbia dichiarato di voler la loro autoriz., mentre « la sentenza disconosce il vincolo derivante agli eredi dal contratto concluso tra la loro autrice e il ricorrente e — comunque — non ha rettamente esaminato il contratto medesimo.

3°) La violazione e falsa interpretazione dell'art. 1325 C. C. perchè l'atto 10-10-1944 - sottoscritto dai Di Matteo - non contiene

una dichiarazione di scienza, ma una vera e propria dichiarazione di volontà sufficiente a dar vita ad un contratto di locazione ultra novennale.

Si costituivano gli intimati e con contro-ricorso notificato e depositato nei termini, contrastavano le argomentazioni avversarie.

Contestualmente al ricorso il Rev. Salomone chiese la sospensione della esecuzione della sentenza impugnata, ma questa Suprema Corte con ordinanza 21-10-1950 rigettò la istanza.

Con memorie aggiunte le parti hanno illustrato le rispettive tesi.

DIRITTO

1°) Sostiene il ricorrente col 1° mezzo che l'abitazione del rettore rell'oratorio — contrariamente alla opinione del Tribunale di Bari è « pertinenza » della Chiesa ai sensi degli artt. 817, 818 C. C., e soprattutto ai sensi del can. 1164 n. 2 C. I. C.; e poichè tale canone « paragr. 2 » — dispone »... locaque, si adsint, subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur », *consegue* che i Di Matteo non possono entrare in possesso dell'alloggio de quo, non tanto perchè in esso debba necessariamente abitare il ricorrente nella qualità di rettore dell'oratorio, *ma in quanto l'immobile non può essere adibito ad « usum mere profanum »*.

Così posta la questione è necessario stabilire quali relazioni corrano tra l'art. 831 C.C. ed il can. 1164 n. 2 C.I.C.

A) - Senza dubbio il diritto canonico — specie dopo i Patti Lateranensi richiamati dall'art. 7 della Costituzione della Repubblica — ha riflessi cospicui nel nostro ordinamento giuridico in quanto non contrasti con questo.

E sotto il profilo della posizione che le norme canoniche possono assumere nei confronti del nostro ordinamento giuridico debbono distinguersi le norme « indifferenti » o contrastanti, da quelle « riconosciute » in via diretta o in via indiretta.

Le norme riconosciute in via indiretta vengono in considerazione nell'atto in cui il processo di attuazione nell'ordinamento canonico *si è compiuto*, e si sono determinate situazioni alle quali l'ordinamento italiano attribuisce rilevanza giuridica.

In questa ipotesi la norma civile presuppone (effetto secondario), il sorgere nell'ordinamento canonico del fenomeno (effetto primario) cui il legislatore riconosce effetti civili.

Ora con l'art. 831 C.C. è stata riconosciuta rilevanza giuridica nel diritto italiano al concetto canonico di « Chiesa » — quo nomine intelligitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in

finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum, Can. 1161 — nonchè agli effetti canonici della « erectio aedis cultui dedicatae » (ad es. ius asyli can. 1179) ivi compreso quello della equiparazione giuridica della Chiesa all'oratorio pubblico « quod eodem iure quo ecclesiae regitur » (can. 1191 n. 1); e in quanto non possono essere sottratti alla loro destinazione — vinculo sacro perdurante — « gli edifici destinati all'esercizio pubblico del culto cattolico » anche se appartenenti a privati; le relative pertinenze ne seguono la sorte. Senonchè in virtù delle norme contenute negli artt. 817 e 818 C. C. la destinazione durevole di una cosa a servizio o ad ornamento di un'altra che determina la « pertinenza » e porta alla unicità della loro regolamentazione giuridica che è quella propria alla cosa principale non può essere effettuata se non dalla volontà del proprietario della cosa principale, e da chi ha un diritto reale sulla medesima.

Il vincolo pertinenziale non può sorgere direttamente dalla legge e tanto meno dalla norma canonica, che verrebbe a trovarsi in contrasto con i principi relativi alle « pertinenze » ex art. 817, 818 C.C. propri dell'ordinamento statuale il quale non mutua dall'ordinamento canonico alcun criterio nè fa ad esso alcun riferimento.

Pertanto — anche se l'ordinamento canonico attraesse — sic et simpliciter — al regime della Chiesa i locali in cui abita il rettore — non per questo ad essi potrebbe riconoscersi il carattere di « pertinenza » della Chiesa.

Tanto meno può sostenersi che i locali soprastanti e sottostanti alla tesi assumono il carattere di pertinenza a causa del divieto canonico di adibire i locali stessi ad uso profano; e ciò senza dire che il divieto in realtà nell'ambito canonico si risolve in una semplice « esortazione » rivolta agli Ordinari — «... ad usum profanum ne adhibeantur ».

Il ricorrente invoca un criterio di « strumentalità giuridica » sostenendo che il « contenuto del rapporto di pertinenza che lega l'oratorio al piano sovrastante si precisa in ordine alla *qualità giuridica* oltre che economica della cosa principale ».

Senonchè è dato replicare che non si concepisce una « strumentalità giuridica » quale criterio determinante un rapporto di pertinenza senza l'intervento della volontà del proprietario della cosa principale o di chi ha un diritto reale sulla medesima.

Aggiunge ancora il ricorrente « che se anche un rapporto di pertinenza tra l'oratorio ed il piano sovrastante non vi fosse, l'art. 831 C.C. osterebbe a che i resistenti possano disporre dei locali adi-

biti a rettoria per destinarli ad un uso diverso, in quanto la norma citata sancirebbe un divieto *per tutti* quegli atti « i quali siano incompatibili con le funzioni della *res sacra*...

Neppure sotto questo aspetto è fondata la tesi del Salomone.

E' vero che l'art. 831 concede alla Chiesa una particolare tutela, ma sarebbe arbitrario estendere tale tutela fino a inibire quegli atti o vietare quelle situazioni — da cui può derivare un « decretum de profanando » dell'Autorità Ecclesiastica.

Nè l'erezione di un oratorio « importa » a carico di titolari delle proprietà contigue « una servitù negativa » che dura finchè dura la destinazione dell'edificio all'esercizio del culto, perchè la consacrazione o la benedizione — pure essendo presupposti necessari dell'esistenza di una Chiesa o di un oratorio pubblico — non possono creare « per sè stesse » vincoli reali o personali in danno dei terzi.

Infine il ricorrente fa ricorso ad un criterio analogico e ricorda gli artt. 9, 10 del Concordato, e l'art. 18 della Legge eversiva 7-7-1866 n. 3036 richiamato dall'art. 4 della Legge interpretativa 11-8-1879 n. 5784.

Ben vero, « gli edifici aperti al culto cattolico », sono dichiarati esenti — di regola — da requisizioni od occupazioni (art. 9 c. l. can. art. 3 Norme allegate al R. D. 18-8-1940 n. 1742, art 12 T. U. Legge P. S. 18-6-1931 n. 773); è fatto divieto alla forza pubblica — salvo urgente necessità — di entrare — per l'esercizio delle sue funzioni — nelle « Chiese » senza averne dato previo avviso all'Autorità Ecclesiastica (art. 9 ult. cap.); non può procedersi alla « demolizione » di « edifici aperti al culto » senza previo accordo con la competente Autorità Ecclesiastica (art. cit.); senonchè non si vede quali conseguenze a favore del ricorrente possano trarsi da tali richiami.

Le richiamate disposizioni confermano che il legislatore ha inteso fare un trattamento singolare *proprio ed esclusivamente* alla « Chiesa » cioè all' « aedes » intesa nel senso dell'art. 831 C. C. e non pure ai luoghi ad essa attigui per ciò solo che sovrastino o si trovino al di sotto dell'edificio adibito al pubblico culto.

Il richiamo, poi, all'art. 4 Legge 11-8-1879 n. 5784 non conforta la tesi del ricorrente, ma conforta quella contraria.

Se nella esenzione della conversione stabilita nell'art. 18 della Legge 7-7-1866 il legislatore ha compreso *espressamente* oltre agli edifici di culto, « anche gli edifici necessari ad uso di abitazione dei rettori, coadiutori, cappellani ecc...» è evidente che tali locali non potevano — come non possono — farsi rientrare « ope legis » nella dizione « edifici di culto », cioè in quella stessa dizione usata dal secondo capoverso dell'art. 831 C. C.

Nella discussione orale si è particolarmente insistito — con sottilissimi argomenti — sulla implicita identità tra « pertinenze » in senso civilistico ed « usum mere profanum » nel senso canonico, ma questa tesi non ha fondamento neppure per il diritto canonico. Essa poggia in sostanza sul presupposto che la consacrazione o la benedizione di un edificio adibito a Chiesa o ad oratorio pubblico importi — nel diritto canonico — l'estinzione del diritto di proprietà privata non solo sull'edificio consacrato o benedetto, ma anche sulle pertinenze: premessa che non trova riscontro nei canoni.

La consacrazione o benedizione per mezzo della quale si opera la « dedicatio novae ecclesiae cultui divino » (Can. 1165/1) non importa « per sè » alcun pregiudizio ai diritti dei terzi, estranei alla cessione, sui beni consacrati o benedetti.

Tale principio è assoluto per il diritto canonico e gli « Ordinarii loci » nel concedere l'autorizzazione « ad consecrationem vel benedictionem novae Ecclesiae » sogliono esigere garanzie affinchè non solo il locale adibito al culto pubblico, ma anche le sue pretinenze non corrano il pericolo di essere adibiti ad usi meramente profani e tanto meno sordidi; e « si prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos » gli Ordinarii medesimi non debbono dare il loro consenso alla edificazione, o se la Chiesa sia stata edificata — non debbono consacrarla o benedirla » (can. 1165).

A tale scopo si *consigliano* i benefattori o pii fondatori di donare l'immobile a un ente ecclesiastico, (ad esempio alle Chiese parrocchiali nel cui ambito si trova la nuova chiesa o l'oratorio), in uno alle sue necessarie pertinenze o quanto meno che l'uso di tali locali sia vincolato in perpetuo agli scopi predetti.

Ma il trasferimento della proprietà dell'immobile o la creazione su di esso di un vincolo perpetuo — o servitù negativa — non seguono ipso iure la consecratio o la benedictio, ma presuppongono un altro negozio giuridico (la donazione, o la costituzione del vincolo reale) da porsi in essere dal titolare della proprietà nelle forme stabilite dal legislatore civile del luogo in cui il negozio giuridico si forma (canone 1529).

Infatti nella ipotesi che tali formalità — non si siano perfezionate prima della consacrazione o benedizione e non si perfezionino sopra l'Autorità Ecclesiastica provvederà all'execratio della Chiesa o dell'oratorio quando il titolare o i titolari dei diritti relativi ai beni consacrati o benedetti intendessero adibirne — ed edibissero — anche una sola parte « ad usum mere profanum ».

II°) Col secondo mezzo il ricorrente sostiene che, anche se ex lege i Di Matteo possono rioccupare l'alloggio — non lo potrebbero « ex contractu » in quanto la Mariangela Di Matteo, aveva consentito al fratello l'uso dell'alloggio de quo vita natural durante « in

applicazione dell'art. 831 C. C. e cioè come conseguenza della destinazione del piano terreno alla erezione di una Chiesa, ed in quanto gli eredi della concessionaria — che avrebbero poi riconosciuto per iscritto i diritti del loro zio — debbono « rispondere non solo delle obligzioni personalmente assunte ma altresì di quelle assunte dalla loro autrice ».

E nella memoria aggiunta la difesa del Salomone ha precisato « ... la Sig.ra Mariangela abbandonò l'appartamento sovrastante, non già per darlo in locazione al fratello sibbene per permettere l'erezione dell'oratorio che altrimenti non sarebbe stato eretto... ». Nè alla validità di tale atto osta il fatto che esso non sia stato redatto in forma scritta, ai sensi dell'art. 1530 C. C. Il vero è che con la dichiarazione 10-10-1944 gli eredi della defunta sig.ra Salomone hanno proprio scritto, ponendo in essere il requisito suaccennato... »

Neppure questa seconda censura è fondata.

Nelle fasi di merito non si è affatto discusso tra le parti se la sig.ra Mariangela abbia concesso al fratello l'uso dell'appartamento « in funzione » dell'erigendo oratorio: al contrario il Rev. Salomone ha fandata la sua tesi difensiva sulla considerazione che la sorella gli cedette l'alloggio in corrispettivo di un canone annuo e della cessione da parte sua dell'area sovrastante il primo piano.

La questione, allora, portata oggi dinanzi al Supremo Collegio è del tutto nuova e, come tale non è deducibile in questa sede.

Comunque è appena il caso di rilevare che è vano distinguere — come distingue il Salomone — tra un contratto *tipico* (contratto di locazione ultranovennale che non sarebbe stato stipulato tra esso e la sorella) e contratto *atipico* (effettiva cessione dell'alloggio in funzione dell'erigendo oratorio), perchè anche nella seconda ipotesi farebbe uguamente difetto un titolo valido da cui trarre le conseguenze che la « consecratio vel benedictio » abbia creato per il diritto canonico un vincolo perpetuo e perenne a vantaggio dell'oratorio ed in danno del sovrastante appartamento. (V. Can. 1529 che canonizza le norme civili sulle obbligazioni).

E tanto meno può attribuirsi alcun valore alla dichiarazione 10-10-1944 la quale comunque si voglia considerare (di volontà o di scienza) — non conferisce all'accordo tra fratello e sorelle una « vis iuridica » maggiore di quella iniziale.

Del resto — come si è detto — tutta la questione si risolve o in un tentativo di portare in questa sede la discussione su fatti non dibattuti nei giudizi di merito, o si risolve in una censura su un giudizio di mero fatto.

Infatti la sentenza denunciata — con motivazione giuridica rigorosa ed esatta — ha precisato « che l'atto 10-10-1933 non ha al-

tro valore se non quello di una dichiarazione di scienza.... (ond'è) ..... che l'inizio della locazione deve riportarsi al 1933, epoca in cui *come è pacifico la Salomone Mariangela fittò al fratello l'appartamento in contestazione...* e poichè questa locazione non era stata stipulata per iscritto... la dichiarazione dei Di Matteo non può supplirvi... ».

La eccezione, dunque con cui il Salomone intese contrastare in appello la domanda dei Di Matteo in forza della nota dichiarazione, è stata esaminata dal Tribunale sotto ogni aspetto, ed è stata respinta con argomentazione « in fatto », non viziata da errori logico-giuridici.

3°) Col terzo mezzo, infine, il ricorrente lamenta che il Tribunale ha erroneamente ritenuto la dichiarazione 10-10-1944 « di scienza » e non « di volontà », e quindi inidonea a concretare un contratto di locazione ultranovennale, — per « avere trascurato di esaminare la prima parte della dichiarazione stessa ».

In proposito il Tribunale ha osservato « null'altro (che una dichiarazione di scienza) è contenuta in quella dichiarazione nella quale i Di Matteo *non cspressero* nessuna volontà di locare l'immobile allo zio..... (ed in essa) non si espresse nessuna volontà di convalidare il precedente negozio giuridico nullo ».

La motivazione è tale da sottrarsi a qualsiasi censura perchè per essa si è risolto *in punto di fatto* il valore da attribuirsi alla predetta scrittura: e vi si sottrae appunto perchè — dato e non concesso che il giudice di merito abbia errato nella interpretazione della volontà delle parti risultante dal tenore del documento — un errore di tal genere non è censurabile in questa sede.

Anche il terzo mezzo non merita accoglimento.

Tutto ciò premesso il ricorso del Rev.mo Salomone deve essere respinto con tutte le conseguenze di legge.

P. Q. M.

La Corte

respinge il ricorso proposto da Don Salomone Gaetano contro Di Matteo Francesco Saverio e Di Matteo Maria Teresa in Lopedote con atto notificato il 31 agosto 1950.

(*Omissis*)

Curcio, Pres.
Lenti, Rel.
Roberto, P. M.

FRANCE

JURISPRUDENCE ADMINISTRATIVE DE L'ANNÉE 1950

Les plus intéressantes décisions se rapportent aux questions scolaires. Elles témoignent d'un esprit franchement libéral.

I. Arrêt Sieur CONNET contre Ministre de l'Education Nationale.

Aux termes de l'article 110 du Décret du 18 Janvier 1887, la liste des candidats admis à prendre part au concours pour l'admission aux fonctions d'inspecteur des Ecoles primaires est arrêtée par le Ministre de l'Education Nationale.

Par une décision en date du 25 Octobre 1946, le Ministre avait rejeté la candidature d'un instituteur du Département de l'Aube, M. CONNET, en alléguant les deux faits suivants: réception de l'évêque de Troyes dans le préau de l'école publique, sans autorisation hiérarchique, en violation des art. 3, 4, 5 du règlement de 1887, et présence à l'église de M. CONNET et de ses élèves, pour y éxécuter des chants.

Pour sa défense, le requérant faisait observer que le préau de l'école, utilisé communément à des fins extrascolaires avait été fixé comme lieu de réception de l'évêque par les seules autorités municipales et qu'en la circonstance, il ne pouvait s'y opposer. Il indiquait, d'autre part que seuls les enfants dont les familles le désiraient, avaient assisté à la cérémonie religieuse.

Le Conseil d'Etat a estimé « qu'il résulte de l'instruction que dans les circonstances où ils se sont produits, aucun des faits reprochés au Sieur CONNET ne révèle à sa charge une attitude contraire au principe de la neutralité scolaire, son enseignement n'ayant d'ailleurs donné lieu à aucune critique à cet égard.

Le Ministre ne pouvant faire usage des pouvoirs qui lui sont conférés que pour des motifs tirés de l'intérêt des services publics, l'arrêté attaqué a été annulé pour excès de pouvoir. L'instruction de la cause avait du reste montré que l'arrêté attaqué avait été pris sous la pression des Syndicats et que le requérant n'avait pas été mis en mesure de discuter les motifs de la mesure qui le frappait.

2. Arrêt Demoiselle JAMET.

En sa séance du 3 Mai 1950, le Conseil d'Etat, accueillant le pourvoi de Mademoiselle JAMET annulait pour excès de pouvoir une décision de l'Inspecteur d'Académie du Département de Seine et Oise, mettant fin immédiatement aux fonctions d'institutrice sup-

pléante exercées par la requérante et une décision du Conseil départemental de l'enseignement primaire refusant de l'inscrire sur la liste des admissibles aux fonctions d'institutrice titulaire.

Ces décisions sont déclarées illégales, parce qu'elles ont été prises non pour des raisons d'ordre professionnel, mais uniquement pour ce motif que la requérante fréquentait un patronage confessionnel, « circostance dans laquelle aucune disposition législative ou réglementaire n'a vu, jusqu'ici, une incapacité de principe ».

Il est à noter que le recours de Melle JAMET a été accueilli, bien qu'elle n'eût jamais sollicité expressément sa titularisation. Le refus d'inscription sur la liste des admissibles aux fonctions d'institutrice titulaire est, par soi, de nature à lui faire grief.

3. On relève, par ailleurs, une décision libérale des juridictions universitaires en matière de construction d'école libre.

Le maire de la Commune de Wattignies fit opposition à l'ouverture d'une école libre de garçons en alléguant d'une part que les matériaux employés pour la construction et la disposition des issues ne répondaient pas aux exigences de l'hygiène, d'autre part que le local n'avait pas encore fait l'objet du dépôt de demande de certificat de conformité en mairie.

Le conseil départemental du Nord a rejeté l'opposition après avoir constaté que la nouvelle construction répondait aux exigences de l'hygiène scolaire. Il indique, par ailleurs que le défaut de demande de certificat de conformité « ne figure pas dans la jurisprudence en matière d'opposition ».

Sur appel du Maire de Wattignies, l'affaire est venue devant le Conseil supérieur de l'Education nationale, statuant en matière contentieuse.

Compte tenu de ce fait que les inconvénients signalés par le maire de Wattignies avaient disparu à la date de l'enquête, il a confirmé la décision du Conseil départemental du Nord. Il a précisé d'autre part que les juridictions universitaires n'ont compétence que pour décider si les locaux réunissent les conditions légales et réglementaires pour être appelés à l'usage scolaire. C'est aux autres juridictions administratives qu'il appartient de statuer sur l'absence du certificat de conformité avec le projet agréé.

JEAN THARY.

RECENSIONES

FAZZARI GIUSEPPE, S. J., *Valutazione etica e consenso matrimoniale.* Napoli - D'Auria, 1951 pp. 84.

Huic dissertationi occasionem praebuit una nullitatis coram Wynen iudicata die 25 febr. 1941, de qua eodem anno Summus Pontifex mentionem fecit in allocutione ad S. R. Rotam (A.A.S., 1941, pp. 421, ss.).

Cum psychiatrarum peritiae circa immoralitatem constitutionalem, qua dicebatur affici conventus in causa, praeiudiciis philosophicis fundarentur, auctor praemittit studio iuridico circa necessitatem aestimationis ethicae ad consensum matrimonialem nonnullas conclusiones suae, adhuc ineditae, investigationis super modernam, sic dictam, philosophiam valorum (*prefazione*), quae ita resumi possunt:

a) cognitio valoris obiectivi, etiam ethici, est actus intellectualis; aestimatio autem rationalis, ut ab A. vocatur, quae essentialis est praemissa cuiusvis deliberationis humanae, complectitur etiam proportionatam inclinationem affectivam voluntatis (pp. 13-20).

b) Cum talis actuatio voluntatis affectivae deficere possit etiam praesente cognitione intellectuali valoris, dissociatio cognitionis intellectualis valoris ab eius aestimatione rationali non repugnat. Immo nec repugnare videtur incapacitas aestimandi rationaliter aspectum ethicum obiectorum in homine capaci aestimandi eadem obiecta sub aliis respectibus (pp. 20-25).

Hisce praemissis, A. momentum ethicum *obiectivum* consensus matrimonialis indicat (pp. 26-28) et, explorata ipsa eius natura psychologica eiusque elementis essentialibus ex parte intellectus et voluntatis (pp. 28-34), concludit eum esse utique actum formaliter iuridicum, non vero etiam actum formaliter moralem (pp. 36-41).

Tamen A., scrutatus conditiones *capacitatis* consensus matrimonialis quod ad normalitatem et discretionem (pp. 42-53), invenit facultatem aestimationis ethicae essentialiter ad hanc capacitatem requiri (pp. 53-59). Non sufficere vero ad capacitatem psychologicam consensus matrimonialis ipsam facultatem aestimandi valorem ethicum obiectorum, quae dat discretionem sufficientem ad mortaliter peccandum, probat A. in hac investiatione, non tantum suis peculiaribus argumentis (pp. 52-53), sed etiam historice demonstrando ipsos auctores (praesertim Sanchez), quibus adscribi solet contraria doctrina, docere utique necessitatem illius discretionis, non vero sufficientiam (pp. 45-52).

In paragrapho quinta quaeritur utrum aestimatio ethica quae ad consensum matrimonialem requiritur sit intellectualis illa, quae iam expostulatur in citata sententia diei 25 febr. 1941, an potius aetsimatio rationalis quae etiam proportionatum affectum voluntatis complectitur pp. à0-61), et perspicue demonstratur primam non sufficere, sed requiri secundam (pp. 61-73).

Conclusiones statuunt principium non sufficere ad capacitatem psychicam consensus matrimonialis usum rationis necessarium ad cogni-

tionem substantialem *naturae* matrimonii, sed insuper requiri: « la maturità e la normalità di collegamenti psichici che permettano la spontanea trasformazione della conoscenza del matrimonio in valutazione razionale, almeno implicita e confusa, di tutti i suoi lati sostanziali, particolarmente di quello etico » (p. 77). Tuetur etiam A. applicabilitatem huius doctrinae in foro iudiciali. Monet tamen peritias psychiatrarum circa immoralitatem, sic dictam, constitutionalem, cui haec doctrina applicanda esset, non distinguere sufficienter incapacitatem aestimationis ethicae rationalis ab incapacitate aestimationis ethicae etiam sensibilis; proinde iudici ecclesiastico potius perpendenda esse motiva peritiarum, quam ipsas peritorum sententias.

Cum citata sententia Rotalis forte prima vice accuratiorem investigationem de nova doctrina philosophiae valoris relate ad consensum matrimonialem instituerit et sub hoc respectu sic dictam « immoralitatem constitutionalem » examinaverit, laudandus est Auctor huius dissertationis qui scientificam inquisitionem in hanc materiam difficilem fecit. Sed desideravissem quod Auctor, qui Iudici ecclesiastico applicationem suae thesis suadet, exposuisset quomodo sua thesis conciliari possit cum doctrina Canonistarum, roborata communi praxi Ecclesiae, iuxta quam etiam semi-fatui ad contrahendum matrimonium admittuntur, sicuti etiam increduli, expertes cuiusvis ligaminis christianae moralitatis vel etiam positive contrarii legi morali et omni « valutazioni etica ». Secus periculum est ne Iudices ecclesiastici in errorem ducantur et matrimonium declarent nullum quod a parte catholica accusatur unice ob deficientem quamlibet ethicam in comparte, quem defectum apud incredulos immorales probare non raro facile erit. Sede Auctor potius philosophum agit quam canonistam.

***

P. J. Landázuri, O. F. M., *De bonorum temporalium religiosorum alienatione* (Dissertatio historico-iuridica), Ed. Desclée Romae, 1950. pp. 143 - Lit. 500.

En opus quod valde desiderabatur inter commentatores iuris religiosorum, necnon inter Superiores, Oeconomos et Officiales religiosos ob suum momentum iuridicum et practicum.

Sane, recta administratio bonorum temporalium frequenter postulat ut personae morales religiosae ponere cogantur actus ordinis iuridico-oeconomici, qui plus minusve tangunt earumdem patrimonium, quod, alia ex parte, in quantum possibile sit, intactum servari debet, immo meliorari atque fructificare. Iam vero huic conservationi generatim opponitur *alienatio* quae proinde, secundum leges Ecclesiae, tantummodo fieri potest ex iusta causa servatisque nonnulis cautelis. Alienatio autem scatet non levibus difficultatibus, praesertim in hodierna praxi oeconomica, quod provenit tum ex ipsa negotii natura, tum ex legum non facili interpretatione. Et quod dicitur de alienatione, potest dici de debitis et obligationibus contrahendis.

Dissertatio P. Landázuri modo conciso et claro investigationem peragit diversorum problematum circa alienationem et contractationem

debitorum et obligationum bonorum temporalium personae moralis et quidem religiosae.

Prima pars historice tractat quaestiones de evolutione huius instituti iuridici iam inde a primis saeculis vitae coenobiticae. Deinde ordinatim et systematice studet ius romanum byzantinum circa hanc materiam, necnon legislationem Romanorum Pontificum et Conciliorum temporis decursu; Ius Decretalium et Ius particulare religiosorum, perveniens usque ad disciplinam de alienatione immediatam C. I. C. Haec pars est maximi momenti et in ea Auctor ponit velut fundamentum pro doctrinae vigentis explanatione quo securius et cum profectu procedi possit in investigatione disciplinae C. I. C.

In altera parte ampliori extensione diligenter perpendit Auctor praescripta can. 534 C. I. C. contenta, quae sunt caput et summa rei circa alienationem et contractationem debitorum et obligationum pro religiosis. Tandem, distincte ac solida auctoritate innixus, praescripta singulorum canonum de contractibus interpretatur eorumque vim explanat.

Proinde peculiari valore practico ditatur hoc opus et valde suadendum est cultoribus Iuris Canonici, praesertim religiosis, Superioribus et Oeconomis atque Officialibus qui non raro, in expediendis negotiis circa alienationem, in debitis et obligationibus contrahendis vel in contractibus perficiendis, difficultates invenient in interpretatione doctrinae canonicae et indigent aliqua norma recta et secura agendi.

Eo magis commendatur praesens elucubratio quod Auctor per duos annos frequentavit Studium S. C. Concilii et occasionem habuit cognoscendi praxim S. C. de Religiosis et aliorum Dicasteriorum Curiae Romanae.

***

Alphonsus M. Stickler S. D. B., *Historia iuris canonici latini*, I. *Historia Fontium*. *Augustae Taurinorum 1950*, pp. XVI, 468 - L. 2400; $ 4.

Nuntio de quolibet novo libro manuali accepto, mens a priori anceps haeret, quoniam saepius de nova tantum materiae didacticae congerie agitur absque rei et etiam methodi progressu. Hoc praecipue accidit, quotiescumque res tractatur, qua nomina, numeri aliaeque notiones materiales tantum traduntur sicuti evenire solet in historia collectionum iuris. Haec cum animo reputans lector et censor volumen primum Historiae iuris can. latini Prof. A. Stickler nuper editum legendum sumit. Neque studentes, pro quibus hae « Institutiones academicae » imprimis scriptae sunt, primo obtutu nimis gaudentes molem adauctam libri fere 500 pp. de fontibus tantum tractantem accipient, cum alii textus, historiam scientiae iuris can. quoque comprehendentes, minorem studii defatigationem exigant.

Revera, indice tantum obiter inspecto, quadam originalitate dispositionis externae iam trahitur lector ad accuratius operis examen instituendum. Quo progrediente cito omnes anxietates evanescunt immo gaudio locum cedunt, quia haec historia fontium donum pretiosum agnoscitur non solum tironibus iuris can. sed etiam omnibus aliis quomodocumque scientiis ecclesiasticis studentibus factum.

In principio « Prolegomena » ponuntur, quae brevem densamque notionem historiae iuris canonici, eius momentum, statum huius scientiae exponunt, quaeque intentionem pandunt auctoris - qui discipulum notorum cultorum huius scientiae P. Bertrandi Kurtscheid et Stephani Kuttner se esse profitetur - Facultatibus iuris canonici accommodatas Institutiones Academicas componere, quae non solum Fontes sed etiam Scientiam et Instituta comprehendant, distincte quidem, didactica et systematica ratione, sed nexu semper stricto prae oculis habito, qui in communi evolutione tres historiae partes inter se coniungit.

In introductione voluminis I., Historiae Fontium, criterium totius pertractationis his verbis edicitur: « Totum systema, integra methodus nostrae expositionis intrinsecis evolutionis genetico-organicae rationibus regitur »; quo iamiam qualitas praecellens et principalis operis novi patefit: non traditur elenchus exsanguis nominum, numerorum, notionum; verum evolutio viva et organica collectionum super fundamentum totius historiae ecclesiasticae-iuridicae. Hoc criterium auctorem de facto prosecutum esse brevis conspectus totius libri procul dubio demonstrat: Fontium omnium historia ad duos refertur eventus tamquam ad duas columnas: ad efformationem Corporis Iuris Canonici et ad Codicem I. C.

Aetas ante Corpus I. C., qua vera silva collectionum cuiusvis generis originem nacta est, iterum in periodos partim originali intentu logice subdistinguitur, ita ut studens non solum haud difficulter vias detegere atque sequi, verum etiam omnes arbores i. e. collectiones earumque indolem specialem dignoscere valeat. Post caput primum, qui de fontibus iuris can. in genere agitur (S. Scriptura, Traditio, Concilia, Acta RR. Pontificum), de collectionibus pseudo-apostolicis tractatur, quae quidem multa etiam iuridica continent. Primae collectiones stricte iuridicae adornantur in periodo, ab auctore « unitatis catholicae-regionalis » vocata, qua normae universales in collectionibus regionalibus i. e. Orientis, Africae, Hispaniae, Galliae, Italiae custodiuntur. Circa finem huius periodi Romae normae istae etiam collectionem universalem nanciscuntur: Dionysianam. Operositas compilatoria Dionysii Exigui fundamentum praebuit cl.mo P. W. Peitz S. J. ad novam quandam theoriam circa collectionum originem statuendam, quae hic concinne exponitur et aliquomodo etiam ad trutinam revocatur.

Ob vicissitudines civiles et ecclesiasticas unitatem catholicam sequitur « diversitas regionalis »: In singulis regionibus (Italia, Oriente, Africa, Hispania, Ecclesia Insulari, Gallia) super stratum antiqui et universalis iuris novae normae particulares, plus minusve propriae et diversae in collectionibus novis congregantur. In regno Francorum renascente hae normae et collectiones inter se concurrunt et urgente reformatione disciplinari partim recipiuntur definitive, partim novis collectionibus devincuntur. Quia tamen neque normae neque collectiones ex toto condicionibus consulunt, quia reformatorum desideriis minime satisfacere valent, quia neque auctoritas legalis, et suprema et localis, neque doctrina, hucusque absens, vulneribus mederi possunt, normae spuriae, fictae, mediantibus collectionibus sic dictis pseudo-isidorianis introducuntur. Amplitudine qua par est haec collectionum series ab

auctore describitur et in organica evolutione demonstratur, ita ut omnibus non solum rationes originis sed etiam indoles et influxus patefiant.

Sequentes quoque periodi regula logicae evolutionis reguntur: ex parte reformationem Carolinam sequuntur et ab ea adhuc dependent, ex parte iam reformationem Gregorianam praeparant. Huius operositatis syllogae originali quidem, verum logica et organica distinctione disponuntur, quae historiae ipsius facta sequitur: stricta et severa reformatio prius, mitigata et evoluta postea proprias habent compilationes, quae et Romae vel sub influxu Romae et aliis in regionibus componuntur. Iterum necessaria fere evolutione collectiones mitigatae reformationis locum cedunt scriptis Decretum Gratiani praeparantibus, quae iam ex professo normas discordantes conciliare student.

Corpus Iuris Canonici formatur cooperantibus suprema auctoritate legislativa et schola. Sequentibus constat partibus definitivis: Decreto Gratiani, Libro Extra Gregorii IX, Libro Sexto Bonifatii VIII, Clementinis Extravagantibus Joannis XXII et Communibus, quae fuse et accurate exponuntur. Inter has collectiones evolutio procedens iterum logice demonstratur, compilationes ipsae describuntur, earum momentum indicatur, iuxta recentissimas doctorum elucubrationes systematice componuntur. Proprio capitulo de Corpore I. C. qua tali disseritur.

Tertia aetate, per centum fere paginas elaborata, iterum silva compilationum legentem devorat. Attamen iterum omnia logice et perspicue ordinata sunt, ita ut singulas facile intelligere et invenire detur. Compilationes hac in epocha passim cum editionibus documentorum convertuntur, ideoque etiam et quae prioris sunt aetatis hic, ratione editionis, una simul cum posterioribus in una sede systematice et chronologice enumerantur: Acta Conciliorum, acta RR. Pontificum, collectiones normarum Curiae Romanae i. e. SS. Congregationum, Tribunalium, Officiorum. Deinde breviter collectiones mixtae i. e. eae, quae documenta omnium vel plurium harum serierum continent, innuuntur et postremo tentamina collectiones universales conficiendi et post Corpus I. C. et ante Codicem I. C. facta describuntur.

In quarto titulo copiose de historia originis Codicis I. C. tractatur necnon de eius notis et de collectionibus postea ortis. — In Conclusione denuo brevis datur conspectus totius evolutionis organice enucleatae atque considerationes conclusionesque quaedam proponuntur ex collectionum historia profluentes.

In fine operis sex ponuntur Appendices: De fontibus iuris orientalis (ab a. 691), liturgici, concordatarii, romani, germanici, civilis, cum hae notiones, generales saltem, etiam historiae iuris canonici necessariae sint. — Mediante Indice alphabetico nominum et rerum copioso facile omnia inveniuntur, quae semel et pluries in corpore tractationis continentur et Index analyticus uberior etiam totius materiae conspectum praebet.

* * *

Hac brevi operis enarratione valor eius haud parvus patefit. Quem praecipue in methodi expositionis bonitate consistere censemus. Nam

notiones aridae, nomina multiplicia, res fere innumerae animantur, percipiuntur, ordinantur ita ut studentes non modo cognitionem « scientificam » fontium acquirant, verum etiam in tot et tantarum rerum studio efficaciter adiuventur. Quare finem praecipuum « Institutionum academicarum ». cl.mum auctorem consecutum esse putamus, plane et multo melius quam alii huius materiae libri. — Verum alii quoque, aliquo modo scientiae canonicae immediate vel mediate, ratione affinitatis et connexionis tantum, operam navantes, quinimmo omnes scientiae ecclesiasticae et historicae cultores pro prima saltem informatione valde utiliter hoc opere utentur, quia, non obstante expositione viva et grata, ratio scientifica severa numquam negligitur, immo summopere colitur. Nam conclusiones recentiores proponuntur, crisi quoque ubi opus est explicite vel implicite instituta. Ita e. gr. quoad Dionysianam, Hispanam, Pseudo-Isidorianas, Decretum Burchardi, praesertim collectiones Gregorianas strictas, personam Gratiani, collectiones inter Decretum et Decretales Gregorii IX ortas tam quoad auctores et condiciones originis necnon descriptionem ipsam quam quoad systema et dispositionem, quoad Innocentianas, editiones recentissimas.

Insuper non desunt qualitates originales tam ad distinctionem periodorum quam ad singulas res quod attinet. E. gr. primae periodi profundior inquisitio et indolis circumscriptio, rationum originis Hispanae compositio, collectionum reformationis Gregorianae strictae et evolutae nova reordinatio, collectionis primae antiquae momenti practica agnitio, totius tituli tertii systematica, logica, ampla tractatio cum additione fontium ineditorum elenchi, praesertim totius evolutionis organicae descriptio, qua etiam omnia alia, quae fluxum et cursum turbarent seiunctim in Appendicibus iuxta systema C. I. C. (Cann. 1, 2, 3) et secundum rationem influxus ponuntur. Optimo consilio, secundum nostrum iudicium, auctor collectiones Orientis usque ad a. 691, non secus ac alias regiones Ecclesiae catholicae tractavit.

Accedit amplitudo totius expositionis, quae hodie nullo in alio libro manuali invenitur; ea non modo in quibusdam particularibus capitibus notatur, sed ubique et semper, secundum momentum et finem praecipuum Institutionum. Peculiari mentione dignus est, hoc sub respectu, titulus tertius, ubi omnes fontes, quod noscere studentis interest, systematice dispositi exhibentur, ubi etiam documenta inedita sat bene indigitantur.

Non obstante hac mole cura diligentiaque maxima in omnibus deprehenditur, quod, inspecta indole operis, non parvi est momenti. Nullibi negligentia vel mere materialis transcriptio offendit, sed examen potius persuasionem gignit auctorem omnes et singulas partes accurate curavisse non solum in evolutionis enucleatione sed etiam in descriptione collectionum et editionum, quibus iudicium criticum quoque additur, cum necessitas hoc suadet.

Ceterum opus vere organicum seipsum exhibet, quod hac praecipue in amplitudine et diversitate materiae non communem cognitionem et competentiam supponit totius fontium regionis necnon fere communicationem animae, quae corpus materiale imperio tenet atque regit, sin-

gulis partibus in toto organismo locum proprium assignat. Propter has qualitates etiam summopere practicum adminiculum et subsidium evadit studentibus et historiam iuris inquirentibus: systematis perspicuitati organicae, materiae integritati, curae accuratae accedunt nonnulla, quae directe praxi inserviunt eamque adiuvant: e. gr. indicatio editionum in calce cuiusque collectionis, indicatio modi citationis singularum Corporis iuris partium non solum modernae sed etiam antiquae, quod auxilium indispensabile constituit omnibus auctores et scripta iuridica vetera inquirentibus; descriptio uberior earum collectionum, quae et quatenus hodie frequentiori usu adhiberi solent et debent; congregatio in unum locum eorum, quae aliis in libris passim dispersa enumerantur (praecipue in titulo III).

Huius utilitatis causa etiam forma externa curata fuit modo peculiari: impressio nitida, tribus typis distincta, quibus momentum maius et minus elucet, dispositio typographica clara, forma non nimis magna, charta tenuis, forsan nimis pro usu frequentiore; errores typographici, considerata indole operis, pauci sunt et graviores folio adiecto corriguntur.

Nemo sane huius generis opus, prima praesertim vice editum, undequaque perfectum esse affirmet. Iudicia de singulis etiam discrepare possunt iuxta placita et desiderata subiectiva. Nos pro altera editione cl.mo auctori has suggerere volumus observationes: Relate ad bibliographiam eiusque elaborationem et citationem non obstante indole « Institutionum academicarum » nimis ad opus cl.mi Van Hove remittit, ita ut istud una simul semper, quaestiones particulares inquirentibus, praesto esse debeat; bibliographia selecta in notis addenda forsan maiorem independentiam bibliographicam suppeditare posset. Claritati deinde solitae obstat aliquomodo confusio inter fontes materiales et formales in capite primo tituli primi. Quandoque lingua et dictio facilior intellectu desideratur. Quaedam lacunae quoad bibliographiam et editiones integritati absolutae praeiudicant. Quae tamen aliaque minora nullatenus operi qua tali, maximo laboris impendio composito, obstant.

Absque haesitatione dicere audemus de praesenti nullas alias « Institutiones academicas » historiae fontium iuris canonici exsistere, quae tanta amplitudine, claritate, perspicuitate, cura diligentiaque necnon viva et grata methodo ornantur, quam hoc opus cl.mi Prof. Stickler. Nobis persuasum est id propter intrinsecam suam bonitatem cito apud tirones et docentes et apud omnes alios studio historiae iuris canonici aliarumque scientiarum ecclesiasticarum incumbentes locum praeeminentem inter alios huiusmodi libros consecuturum esse. Quod ex toto corde optamus auctori, grato animo gratulantes de primo volumine eximii valoris; sed insimul vehementer obsecrantes, ut quantocius volumen secundum historiae scientiae, maioris adhuc necessitatis, et tertium historiae institutorum, maioris utilitatis, prodeant.

Augustinus Pugliese
iuris canonici Professor
S. C. de Religiosis a Commissione Studii

P. Ludovicus J. Fanfani O. P., *Manuale Theorico-Practicum Theologiae Moralis ad mentem S. Thomae*, Tomus II pp. 715, Tomus III pp. 552. Romae-Ferrari 1950.

Tomus primus huius operis — ubi de theologia morali fundamentali — jam recensitus fuit in *Mon. Eccl.* (cfr. fasc. II an. LXXV - 1950 - pp. 316-317). Nunc autem in secundo et tertio tomo A. ea, quae ad Theologiam specialem moralem spectant, pertractat: non autem omnia, cum quartus adhuc edendus sit tomus. Tomus secundus, nunc editus una cum tertio, dividitur in quinque tractatus sequentes pertractantes materias: in primo (pp. 4-69) sermo fit *de Fide* et quidem de natura, necessitate Fidei, de peccatis contra Fidem, de vitandis a catholicis ne deficiant a Fide; in secundo tractatu *de Spe* A. loquitur (pp. 91-104), id est de natura, de necessitate Spei, de peccatis contra Spem ac de timore Dei; in tertio tractatu A. *de Caritate* scribit (pp. 109-186), nempe de essentia, de necessitate, de ordine in caritate servando, de exterioribus actibus caritatis, de peccatis contra caritatem; in quarto tractatu A. loquitur *de Prudentia* (pp. 202-211), sciilicet de natura et speciebus prudentiae, de vitiis prudentiae, de bono consilii; in quinto et ultimo tractatu sermo fit *de Jure et justitia* per plures sectiones: in sectione prima de Justitia (pp. 214-311), in secunda de Jniustitia (pp. 316-434), in tertia de restitutione (pp. 438-543), in quarta et ultima de contractibus (pp. 547-698): sic totus expletur tomus secundus operis. Liceat statim — ante examen tertii tomi — quaedam particularia animadvertere respicentia materiam in secundo tomo explicatam.

Parum vel fere nihil A. dicit de quibusdam quaestionibus quae hodie maxime agitantur. Sic v. gr. A. loquendo in primo tractatu (*De Fide*) de disputationibus cum haereticis paucissima tantum habet: memorat enim can. 1325 C. J. C., ex quo occasionem accipit dicendi « quod ex recenti declaratione S. Officii intelligendum est quoque de conventibus oecumenicis sic dictis... S. Officii Monitum 5 junii 1948 » (p. 66). At *Instructio ad locorum Ordinarios de motione oecumenica eiusdem S. Officii*, die 29 decembris 1949 edita, quae multa et nova habet, utiliter ab A. adduci potuisset. Quaestio enim de conventibus oecumenicis hodie magnum momentum habet praestim practicum et apta tractatio in theoologia morali non solum utilis imo necessaria videtur, speciatim pro sacerdotibus exteris et alumnis facultatum pontificiarum.

De jure et justitia A. loquendo, initio tractatus, (p. 218) dat notionem juris parum perfectam, quae haud respondere videtur doctrinae a divo Thoma traditae iuxta ea, quae praeclaro modo nuperrime explicavit J. Graneris, *Contributi Tomistici alla Filosofia del Diritto*, S. E. I. 1949.

Tomus Tertius in quinque dividitur tractatus. In primo sermo fit de virtute *Religionis*: de natura, de culto divino, de actibus Religionis, de vitiis Religioni oppositis (pp. 1-183). In secundo tractatu A. loquitur de virtute *Fortitudinis*: de natura F., de magnanimitate, de magnificentia, de patientia, de perseverantia, de martyrio (pp.. 189-217). In tertio tractatu, loquendo *de Temperantia* ac de virtutibus adnexis, A.. scribit de temperantia in genere, de vitiis temperantiae oppositis, de lege abstinentiae et jejunii, de humilitate, de mansuetudine, de clementia, de

modestia, de studiositate (pp. 218-271). In tractatu quarto de *Castitate et Virginitate* diffuse atque logice A. pertractat: de castitate, de virginitate, de luxuria in genere, de peccatis luxuriae, de remediis contra peccata luxuriae, de castitate et luxuria in ordine ad ipsam sanitatem phisicam, de modo interrogandi poenitentes in materia luxuriae. In quinto et ultimo tractatu (pp. 360-535) A. loquitur de *statibus particularibus* per distinctas sectiones: sectio prima *de statu laicali*, ubi de societate domestica, de societate politica, de officiis eorum qui versantur in foro, de medicis, etc.; in secunda sectione est *de statu clericali*: de privilegiis et obligationibus clericorum; in sectione tertia sermo fit *de statu religioso*: de vocatione, obligationibus atque privilegiis religiosorum, de lege clausurae, de exclaustratis et saecularizatis. Hae, per summa capita, partes diviisionesque principaliores quibus tertius constat tomus.

Digna est notatu in tertio tomo tractatio diffusa et logica de statibus particularibus, quae perutilissima erit sive alumnis sive confessariis sacerdotibusque omnibus. Quae in ipsa dicuntur, praesertim in prima sectione, - *de statu laicali* - ubi optime, inter alias, de officiis civium erga patriam, de regibus et principibus, de senatoribus et deputatis eorumque electoribus, de ministris aliisque officialibus, de magistratibus etc., in aliis manualibus non semper ita bene explicata habentur. In secunda sectione - ubi *de statu clericali* - A. loquendo de negotiatione et mercatura clericis prohibitis, merito accedit explicationi, quae in *Mon. Eccl.* data fuit Decreto S. C. Concilii d. 22 martii 1950 (cfr. *Mon. Eccl.* LXXV - 1950 - fasc. II pp. 170-183), cum magis legislatoris menti sit respondens.

Uti jam in primo sic et in secundo et tertio tomo A. continuo conatus est referre atque recte explicare doctrinam ac methodum S. Thomae, in luce ponendo notam positivam virtutum et omnia exponendo cum magna claritate et ordine. At etiam in his duobus tomis - uti jam notavimus pro primo tomo - aliqua carentia apparatus bibliographici notatur. Opus tamen, quod A. scholis et studiosis theologiae moralis dedit, vere laudandum est, cum haud parum profuturum alumnis, quibus optime inservire potest uti textus scholasticus.

VINCENTIUS FAGIOLO

ACTA ET DOCUMENTA

DOCUMENTA

8 Decembris 1950 — Augustus Pontifex delegatos alloquitur.

Conventui generali ex universis religiosis Ordinibus, Congregationibus ac Societatibus Institutisque saecularibus, Romae habito. *

Annus sacer, qui, nullo Nostro merito, sed favente Dei misericordia, benefactis efficientior evasit, quam eum humanae mentis praecipiebat provisio, mira spectaculorum serie ostendit, quanam fide polleat, quanam vitae ubertate Ecclesia Christi, Mater nostra, vigeat. Hisce peculiaris gravitatis et momenti eventibus et inceptis bene vester interseritur Conventus, fraterna vestra interlucet corona, quam amantibus verbis perplacet Nobis nunc salutare.

Quod quidem numquam ecclesiasticarum rerum memoria factum esse recenset, nunc primum sodalitates, in quas qui cooptati sunt suae veluti vitae metam evangelicam absolutionem perfectionemque sibi praestituunt, in tam celebres coetus coaluerunt, quemadmodum postremis hisce diebus contigit, ut de communibus utilitatibus cogitata librarent consilia.

Quod ut efficeretur, iudicio Nostro matura tempora omnino requirebant. Mutata enim rerum adiuncta, quae subire debet Ecclesia, nonnulla doctrinae placita, intra ipsa Ecclesiae saepta conflata et evulgata, eas quoque quaestiones attingentia quae ad moralis perfectionis condicionem et statum pertinent, apostolici laboris, quem vos large et prolixe suscipitis, instantes necessitates, haec omnia valde suadebant, ut dispsitis disceptationibus et studiis vacaretis.

Opus vero vestrum iam in eo est, ut persolvatur. Accuratis considerationibus id ferbuit, proposita multiplicia progenuit neque perficiendis virtutibus, ut speramus, minus locuples erit. Has, vestris annitentibus voluntatibus, Dei gratia excitabit, quam quidem preces et religiosae abnegationis expleta opera, tum vestra, tum praesertim vestrarum in Christo sororum, incepto, in quod incumbitis, flammantibus votis invocarunt.

I

Ante omnia iuvat Nos paucis perstringere, quinam religiosorum Ordinum et Congregationum in Ecclesia sit locus. Scitis profecto Redemptorem nostrum Ecclesiam hierarchica natura praeditam condidisse.

Nam inter Apostolos eorumque successores, quibus adiciendi sunt ipsorum muneris auxiliares, et simplices fideles Is certi discriminis intervallum posuit, qua quidem duplici compagine Regni Dei in terris constat structura. Quocirca divino ipso iure statutum est, ut clerici distinguantur a laicis [1]. Inter duos hos gradus religiosae vitae status intericitur, qui, ecclesiastica origine defluens, ideo est atque ideo valet, quia arcte proprio Ecclesiae fini cohaeret, qui eo spectat, ut homines ad sanctitatem assequendam perducantur. Quamvis quilibet christianus, Ecclesia duce, hoc sacrum culmen scandere debeat, tamen religiosus homo illuc progreditur itinere omnino suo et praesidiis celsioris naturae.

Praeterea status religiosus nullo modo reservatur ad unam vel alteram duarum partium, quae ex iure divino in Ecclesia exstant, cum tum clerici tum laici itidem religiosi esse queant, et cum contra sive religiosis sive iis qui tales non sunt clericalis dignitatis aditus pateat. Deerrat igitur in aestimandis fundamentis, quae Christus constituendae iecit Ecclesiae, qui secum reputat peculiarem saecularis cleri formam, utpote saecularis, a divino Redemptore statutam sancitamque esse, peculiarem autem regularis cleri formam, licet ipsa bona et rata habenda sit, quippe quae ex altera manet, secundariam et auxiliarem esse. Quocirca, ordine a Christo statuto ob oculos habito, neutra peculiaris gemini cleri forma divini iuris praerogativam tenet, cum idem ius neque alteri alteram praeponat neque alterutram emoveat. Quodnam vero utriusque sit discrimen, quaenam mutuae rationes, quinam in humanae salutis perficiendo opere utrique committendus sit labor, haec omnia Christus temporum varietatibus et necessitatibus circumscribenda reliquit vel, si volumus expressius cogitatum Nostrum definire, Ecclesiae decretoriis mandavit consiliis.

Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit. Hoc revera, quod ceterum ex sueto more in Ecclesia contingit, in Codice iuris canonici illa de religiosis viris, utpote parochis et Ordinariis locorum, praescripta [3] haud obscure declarant. Neque raro evenit, ut in sacrarum expeditionum territoriis universus qui illic versatur clerus, non excepto Antistite, regularis sit militiae. Neve autumet quisquam id prosus extra ordinem suetamque normam esse, ita ut censeatur hoc ad tempus tantum contingere et, simulac fieri possit, sacram procurationem saeculari clero esse tradendam.

Sed et Religiosorum Ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt. Quod etiamsi praetermittamus, in disceptationibus per postrema decennia super exemptione habitis haud satis fortasse animadversum est religiosos exemptos, etiam ex praescripto iuris canonici semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote supremo suo Moderatori, su-

[1] Cfr. can. 107

[3] Can. 626-631 ; 454 § 5.

bici, cui oboedire tenentur etiam vi voti obcedientiae [4]. Iamvero Summus Pontifex, ut in universam Ecclesiam, ita in unamquamque dioecesim et in singulos chistifideles ordinariam et immediatam iurisdictionem habet. Ergo constat primariae a Deo latae legi, qua clerici et laici Episcopi regimini subesse debent, etiam ad religiosos exemptos quod attinet satis superque obtemperatum esse ac denique Christi voluntati et statuto utriusque militiae clerum pari respondere obsequio.

II

His, quae adhuc dicta sunt, altera conectitur quaestio, quam explanare et enodare Nobis nunc cordi est: spectat ea rationem, qua clericus et religiosus ad suam morum perfectionem et absolutionem contendere debet.

Veritati absonum est asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturae postulatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (acquirendae) appellari. Clericus igitur non vi divini iuris evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, oboedientiae devincitur; ac praesertim non eodem modo devincitur eademque ratione, qua ex votis publice nuncupatis in religioso statu capessendo huiusmodi obligatio exoritur. Id autem non prohibet, quominus privatim suaque sponte clericus haec vincula suscipiat. Itidem quod Latini ritus sacerdotes sacrum coelibatum servare tenentur, inter clericalem et religiosum statum discrimen non aufert vel attenuat. Clericus vero regularis, non prout est clericus, sed prout est religiosus, evangelicae perfectionis condicionem et statum profitetur.

Quodsi Nos per Apostolicam Constitutionem « Provida Mater Ecclesia » ediximus formam quoque vitae, quam Saecularia Instituta sequuntur, autumandam esse evangelicae perfectionis statum publico agnitum iudicio, propterea quod eorum sodales evangelicis consiliis observandis aliquo modo astringuntur, hoc quoque nequaquam Nostrae nuper allatae contradicit sententiae. Nulla profecto ratio officit, quominus clerici in Saecularia Instituta coalescant ut, ad evangelicae perfectionis statum, huiusmodi vitae delectu et genere, contendant, sed tum ipsi quoque sunt in statu perfectionis acquirendae, non utpote clerici, sed utpote Saecularis Instituti gregales. Huiusmodi enim Institutum evangelica consilia, quae, religiosi status propria, ibi summa perfectione in rem deducuntur, habet sane veluti vitae rationem, cui inhaereat, ita tamen complet, ut e statu regulari non pendeat, sed per se stet in externa vitae forma ad perfectionem nuper memoratam haud necessario pertinente.

III

Opportunum esse remur aliquantisper ei immorari quaestioni, quasnam status religiosus praebeat rationes ad illum ineundum.

[4] Can. 499 § 1.

Sunt qui asserant religiosum statum natura sua fineque suo, cui probatio deneganda non sit, nihil aliud esse nisi salutis refugium timentibus et anxiis datum, qui, cum non valeant procellosae vitae obire discrimina, et aspera rerum sustinere neque sciant neque forsitan velint, socordia ducti valedicunt saeculo et in sereni coenobii portum confugiunt; quocirca Dei gratiae et sui excitandam esse fiduciam, ut qui otiosam petunt tranquillitatem abiciant huiusmodi opinatam animi propensionem et audeant communis vitae certamina aggredi. Numquid hoc verum est?

Nostrum non est nunc iudicii libra pensare, quonam singuli impulsu religiosum statum capessant. Enuntiare volumus rationem, praecipuam quidem et veram, qua umbratilis vitae adeunda sunt saepta. Haec sane abest a nuper relata opinatione, quae, si in universum accipitur, falsa et iniusta est. Enimvero, quemadmodum sacerdotii ineundi, ita et religiosi status ingrediendi propositum atque in suscepto proposito firma constantia magnos spiritus et alacre devovendi se studium flagitant. Ecclesiastica Historia, quae Sanctorum caelitum et religiosorum institutorum praeclare gesta tradit, sacrarum expeditionum exitus narrat, asceticas doctrinas refert, et ipse rerum usus luce lucentius demonstrant haud minus in religioso statu quam in saeculo viros et mulieres invictae et generosae virtutis floruisse. Ceterum religiosi viri et religiosae feminae, qui in inceptis Evangelii regno amplificando desudant, aegrotis adsunt, adulescentes educant, in scholis operam navant, num ab hominum consortione abscedunt et ab ea suam alienant voluntatem? Nonne vero plerique ex iis perinde ac sacerdotes saeculares et laici auxiliatores pro Ecclesiae causa agenda in prima acie dimicant?

Hic autem abstinere non possumus, quin animadvertendam indicemus rem antea relato opinatui omnino contrariam. Quodsi numerus eorum, praesertim adulescentularum, qui religiosae vitae conclusos hortos ingredi volunt, minuitur, saepius ex eo accidit, quod nimis durum aestimetur arbitrio suo exui et libertatis suae potestatem deponere, quod quidem oboedientiae votum natura sua secumfert. Immo veluti celsa moralis perfectionis forma a quibusdam extollitur non ob Christi amorem exuta libertas, sed huiusmodi abnegationis coartatio. Formando igitur homini iusto et sancto haec esset praeferenda norma: coartetur libertas, quoad necessarium sit, libertati habenae relaxentur, quantum fieri possit.

Praetermittimus hic quaestionem, an novum fundamentum in quo sanctitudinis aedificium condere conantur, aeque ferax et validum in sustentando augendoque apostolico Ecclesiae opere futurum sit perinde ac illud fuit, quod mille et quingentorum annorum spatio antiqua oboedientiae regula ob amorem Christi accepta suppeditavit. At vero, quod nunc maxime interest, est penitus considerare illam rationem, ut quod ea intus condat patefiat. Haec, si rite perpendatur, evangelici consilii naturam minime agnoscit, quin etiam in appositam significationem aliquo modo intorquet. Nemo officio astringitur, ut sibi praestituat evangelicum consilium perfectae oboedientiae, cuius radix est ea norma vitae, qua voluntatis suae abdicetur potestas, nemo, inquimus, sive cum

de singulis agitur hominibus sive de sodalitatibus. Possunt, si volunt, ad hanc novam regulam suos componere mores. Sed verba, ut sonant, intelligantur et excipiantur, oportet. Iamvero, si haec norma cum oboedientiae voto conferatur, non eiusdem summi est pretii neque illud Sacrae Scripturae effatum praeclarumque exemplum exprimit: « Humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem » [5].

Fallit et fallitur igitur qui de religioso statu capessendo consilium petendi solummodo illam normam vel opinationem sequendam profert atque eius animi proclavitatem et divinae gratiae instictum perperam negligit. Quocirca, si Dei vocis invitamentum certo indicio aliquem ad evangelicae perfectionis culmen arcessit, qualibet amota haesitatione, celsi huius propositi perficiendi causa, ei proponatur libertatis libera immolatio, prout oboedientiae votum exposcit, votum, inquimus, quod Ecclesia per tot saeculorum decursum perpendit, experta est, definivit, comprobavit. Nemo invitus ad huiusmodi devovendi se studium propellatur; sed si is velit, nemo sit, qui eum dehortetur, nedum detineat.

IV

Haec hactenus. Nunc de externis operibus deque intima vita aliquid animus Nobis est eloqui. Pauca, quae ad regularem vitam et generatim ad religiosam vitam pertinent et quae revera gravis sunt momenti, fusius quam haec quaestio pertractata sunt. Nihilominus hoc super argumento et Nostram volumus proferre sententiam.

Non casu siquidem evenit, ut in nostram incideret aetatem ortus et conflatio illius philosophiae, quae « existentialimus » vocitatur. Homines enim qui hodie vivunt, cum eventus rerum arduas exsolvendas metaphysicas et religiosas quaestiones adducunt, libenter, negligentes altiora, satis esse sibi rentur agere quod hic et nunc agendum est. Iamvero qui sanctam profitetur fidem, renuit, ex eiusmodi placitis, solummodo singula puncta temporis curare et vitae fluvio praecipitem se tradere. Novit ipse ea quae non apparent [6] summe esse aestimanda summeque vera et ita in posterum mansura, ut numquam sint occidua. At — proh dolor — quamvis monita et hortamina non defuerint, etiam ecclesiastici viri, religiosis non exceptis, haud paulum huiusmodi contagione affecti sunt; et, quantumvis quod humanos sensus cunctamque naturam exsuperat non denegant, id tamen parvipendunt.

Quod in discrimine graviter et periculose erat, estne iam devictum? Deo agantur grates, nam sperare hoc licet: aliqua, quae oculis intuemur et quae vitae usus prodit, hanc Nobis fiduciam iniciunt.

Possunt una simul foederari operosissima navitas et intimae vitae quaesitae divitiae. Duo sidera, quae in regularis vitae cultu fulgent, luculentissime hoc demonstrant: S. Franciscus Xaverius et S. Teresia a Iesu.

---

[5] *Phil.* 1, 8.

[6] Cfr. *Hebr.* 11. 1.

Alacris operositas et intimae vitae cura cura non solum expostulant mutuam coniunctionem, sed, saltem ad aestimationem rei et ad voluntatem quod attinet, ut eae pari gradu et gressu procedant. Ferventibus igitur operibus, congruenter ferveant fides, preces, se suaque Deo devovendi studium, intemeratae conscientiae nitor, oboedientia, malorum patientia, Deo et proximis impendenda actuosa et pervigil caritas.

Hoc non tantum singulis religiosis sodalibus valet, si tales ipsi sunt non solum habitu, sed animo, verum etiam integrae quoque religiosae sodalitati causa est, cur coram Deo et hominibus religiosa vita solide fulciatur et amplissima probatione sit digna. Hoc instanti rogatu poscit a vobis Ecclesia, ut externum opus vestrum congruat intimae vitae vestare et haec duo adsiduam invicem aequilibritatem constituant. Nonne vos, clerici et laici, profitemini vos evangelicae perfectionis statum amplecti? Si ita est, eiusdem status progignite fructus, ut mysticum corpus Christi, quod est Ecclesia, e robore et calore vestro efficientiores hauriat vires. Hac eadem causa fit, ut religiosi Ordines contemplativae vitae addicti aliquo modo Ecclesiae necessarii sint, cui iidem perpetuum decus exstant et caelestium scatebra gratiarum.

Scitis profecto effundi sermonem, caritatem erga proximos paulatim religiosam naturam amittere et saeculo mancipari (*laicizzare*). At beneficentia, quae nullum a fide principium ducit, sed aliunde scaturit, caritas non est neque catholica appellari potest. Habet caritas dignitatem, habet afflatum, habet vires, quae simplici philanthropiae, etiam opibus et praesidiis praeditae, desunt. Ita, Catholicae religiosae sodales, quae aegrotis adsunt, si comparentur cum iis, quae idem munus exerceant solummodo humanitatis vel mercedis causa, quidpiam habent, quod aliud est et maius est. Possunt interdum aliis cedere ad technica praesidia quod attinet; et nunc quoque eas adhortamur, ut, hac in re aequo cum illis progrediantur pede, imo ut illas praemineant. Verumtamen ubi suam dant operam religiosae sodales, in quibus vitales spiritus ipsarum Instituti insideant, cotidie paratae ob amorem Christi suam dedere vitam pro iis qui infirmitate laborant, tum aura quaedam circufunditur, ubi virtus mira efficit, quae nec technica inventa nec medicina pariunt.

Religiosi igitur Ordines et Congregationes activam profitentes vitam in oculis ferant et colant ea omnia, ex quibus operi suo sacra lineamenta eluceant et in penetralibus conscientiae mundae Sancti Spiritus ignem alant.

V

Dilectissimi Nobis, volumus etiam breviter attingere de studio religiosorum Institutorum mutatis temporibus sese accommodandi et pulchro foedere simul nova et vetera iungendi.

Si iuvenes haec audiunt « oportet nostrae esse aetatis », « oportet ausus nostros aetati nostrae aequare » insolito animi ardore flammescunt et, si religiosae militae sub signis merent, eo summporere cupiunt futuri religiosi laboris molimina convertere. Quod quidem aliqua

ex parte aequum est. Plerumque enim contigit, ut legiferi patres religiosorum Institutorum novum suum excogitarent opus, quo emergentibus neque moram patientibus Ecclesiae necessitatibus vel muneribus occurrerent; itaque cum suo tempore sua exaequabant incepta. Quodsi vultis patriis insistere exemplis, eo modo quo ipsi se gesserunt, ita et vos agite. Aequalium vestrorum, inter quos vivitis, scrutamini opiniones, iudicia, mores et, si ibi particulae boni et iusti inveniantur, pretiosis hisce elementis potimini; aliter eos collustrare, iuvare, sublevare, ducere non valetis.

At est Ecclesia patrimonium, quod iam eius primordiis indemne est, quod labentibus aevis non variatur, humani generis necessitatibus et votis congruentissimum: pars eius praecipua catholica fides est, quam quidem contra nova pericula recens quoque per Encyclicas Litteras « Humani generis » Nos tutati sumus. Quam, nullo tameratam naevo, diligentissime servantes, hoc persuasissimum habete ei inesse perquam pollentes vires, quibus quodlibet valeat informare aevum.

Finis praeterea status perfectionis pars est eiusdem patrimonii, quae quidem vobis summo consequenda est studio, ut eius praesidiis et viis sancti efficiamini et sanctos quoque, directo aut indirecto opere, efficiatis proximos, ut ii, divinae gratiae uberius usque participes, pie vivant et pie moriantur. Hoc ipso patrimonio continetur veritas, ita celsa, ita praecipua, ut unum reputetur iter ad perfectionem abnegatio sui ipsius ob Christi amorem. Id autem nullo modo ea, quae mutantur, tempora mutant.

Attamen sunt, et multa quidem, rerum adiuncta, ubi potestis et debetis hominum et temporum ingenio et necessitatibus obsecundare. Hoc ceterum, haud parva ex parte, iam effectum est, ac nunc, collatis consiliis et propositis vestris, plane cumulateque perficitur. Haud pauca autem vestra laudabiliter iam novata esse ex iis multigenis patet, quae in scholis, quae educandorum iuvenum causa, quae ad miserias hominum leniendas, quae ad doctrinas colendas et provehendas vel singillatim vel per Instituta vestra agitis. Quapropter fatendum est, neque quisquam assertum Nostrum infitiari potest, magnam iam assurgere operis molem, ut mutatis temporibus nove apteque occurratis.

Attamen in ista, quam exquiritis, congruentia cum mutatae aetatis necessitatibus iudicio Nostro summopere interest, ut sagaci indagatione investigetis, quid spiritualium virium in aequalibus lateat, quibus additis desideriis ii ferantur, quinam iisdem sincerus sit animi vultus. Non illum intellegimus vultum, qui damnanda et exprobranda prodit, qui cupidinum tumultus et venena vitiorum exprimit. Attamen in hominibus, utpote hominibus et, eo vel maxime, utpote christianis, etsi deerrant et noxiis implicantur, inest haud parum boni, inest optatum maioris boni. Hisce a vobis obsequendum est motibus, hisce occurrendum est votis, cauta autem habita ratione, ut non accipiatis a saeculo, quod triste et iniquum id tenet, sed ei vestrum inseratis quod probum et sanctum sit et salubribus illius impulsionibus consonum. Quod igitur in aliis timide bonum est curantes, expolientes, augentes, ex eo

veluti ex auri particulis pretiosa fingite vasa, ex eo veluti ex rivulis deducite amnes.

Censent quidam, nec fortasse perperam, tria esse, quae aetatis nostrae indoli et propensioni quam maxime respondeant: in cogitando et deliberando latitudo, in ordinando et componendo unitas, in agendo celeritas. Nonne haec tria etiam Evangelii notae et insignia sunt, nonne dotes sunt eorum qui catholicam fidem ore et moribus profitentur? Quaenam maior latitudo cogitantibus nobis expandi potest quam latitudo, quae Apostoli effato profertur: « Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi: Christus autem Dei »? [7] Quaenam astrictior in comprehendendo et amando unitas quam illud simplex et unum, Divinarum Scripturarum verbis declaratum: « Deus omnia in omnibus » [8]. « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua... Diliges proximum tuum tamquam teipsum »? [9]

Ut simus autem agiles et vividi, nulla caducarum rerum nocenti recordatione detenti, illud monet: « Nemo mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei » [10]. Quodsi vultis suspicere exemplaria virtutis, in quibus hae tres eluxere laudes, recogitate vobiscum ad Paulum Apostolum et ad omnes, qui in Ecclesia Christi egregia et immortali memoria digna patrarunt.

Iamvero proposita, quae vobis in contemplatione et actione vitae praefulgent, itemque ea, quae ceteri Ecclesiae filii, sacerdotes et laici, assequi debent, sunt christiana perfectio et humani generis comparanda salus. Verumtamen vestrum est efficientissimis uti praesidiis, evangelicis nempe consiliis per religionis votorum nuncupationem, ut adsiduo bello concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae [11] edometis atque inde sanctiores usque evadatis et in procuranda humanae subolis salute alacres Dei administri sitis. Ad haec celsa attingenda cogitationes et opera convertite, et « in caritate radicati et fundati » [12] fidei robore solidati, humilitate locupletes, nullam praeterlabi sinite occasionem, ut homines, fratres vestros, ad Creatorem, Redemptorem, quasi erraticas oves ad Pastorem, deducatis.

In exemplum fidi et fideles, facite, ut in vobis nomini consonent mores, congruat professionis tota ratio vitae. Secundum illud Apostoli gentium: « Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis »: [13] pax regnet in vobis et inter vos, inter eiusdem nempe Instituti et domus sodales, et cum iis, qui ad alia Instituta sunt cooptati; inter vos et omnes alios, qui vobiscum operantur et cum quibus vos operamini ad homines Christo lucri faciendos. Facessant istinc controversiae et

---

[7] *I Cor.* 3, 23.
[8] *I Cor.* 15, 28.
[9] Marc. 12, 28-34.
[10] Luc. 9, 62.
[11] Io. 2, 16.
[12] *Eph.* 3, 17.
[13] *Eph.* 4, 3.

discordiae, quae enervant et manca reddunt etiam spei plena incepta: Ecclesia, ut apostolico labore exercendus campus, in immensum patet, operis et sudoris copia nemini deest.

Si fides hominis religiosi exemplis fulta erit vitae, cuius contextus votorum adamantea fulgescat observantia, si sacerdoti nihil grave et arduum erit in curanda animorum salute, tum de ipsis hodie quoque valebit quod Apostolus de sermone Dei praedicat, qui « visus est... et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » [14]. Ut exemplo utamur, recens monuimus fideles ut calamitosa hac aetate, qua afflicta multorum fortuna et lacrimabilis inopia cum immodicis sumptibus acriter pugnant, velint temperanter vivere ac liberales esse in proximos, egestate pressos. Agite, ceteris in tam instanti perfectionis christianae, iustitiae et caritatis opere exemplis vestris praecellite eosque ad imitandum Christum inducite.

Plurimum denique optantes, ut Domini nostri Iesu Christi opifera gratia e Conventu vestro divites et diu mansuros fructus egignat, benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem vobis, qui coram adstatis, et religiosis familiis, quae toto orbe terrarum sunt, amantissime impertimus.

---

[14] *Hebr.* 4, 12.

CHRONICA

ACTA PII PP. XII

24 Junii 1951 — *In Petriana Basilica sanctitatis laurea sollemni ritu decorat Beatas Caelites Aemiliam de Vialar ac Mariam Dominicam Mazzarello, deque ipsis laudes allocutione habet.* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 529-533).

LITTERAE DECRETALES:

9 Julii 1950 — *Litterae Decretales* Lilia spinis, *per quas Beatae Mariae Annae a Jesu de Paredes, Virgini, Sanctorum Caelitum decernuntur honores* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 413-426).

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

2 Martii 1951 — *Const. Apost.* Universi dominici, *qua nova in Canadia conditur ecclesiastica provincia. Ecclesiae Sherbrookensi obnoxia, quae proinde ad Metropolitanae Ecclesiae gradum extollitur* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 449-451).

8 Martii 1951 — *Const. Apost.* Omnium Ecclesiarum, *qua tres novi Vicariatus Apostolici in Indonesia instituuntur, videlicet Endehenus, Larantukanus et Rutegensis* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 452-453).

8 Martii 1951 — *Const. Apost.* Si qua exstet, *per quam Missio* sui juris *de Gambia in Africa Occidentali Britannicae ditionis Apostolicae Praefecturae gradu augetur, Bathurstensis in Gambia indito nomine* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 453-454).

8 Martii 1951 — *Const. Apost.* Ad potioris dignitatis, *qua Apostolica Praefectura de Ambanja in Madagascaria insula in numerum asciscitur Vicariatuum Apostolicorum* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 533-534).

10 Martii 1951 — *Const. Apost.* Ex supremi apostolatus, *qua ab amplissimo Pittsburgensis dioecesis territorio pars sejungitur, quae nova efficitur dioecesis, Greensburgensis appellanda* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 534-537).

10 Martii 1951 — *Const. Apost.* Omnium in catholico orbe, *qua nova praescribitur in Guatimalensi Republica ecclesiarum circumscriptio, novaeque fundantur dioeceses Zacapensis, Jalapensis in Guatimala, Sololensis et S. Marci in Guatimala et Apostolica Administratio ad nutum Sanctae Sedis El Petén* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 537-541).

10 Martii 1951 — *Const. Apost.* Si qua dioecesis, *per quam, dioeceseos S. Mariae in Brasiliana Republica territorio in duas partes diviso, nova conditur dioecesis Passofundensis* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 541-544).

11 Martii 1951 — *Const. Apost.* De Ruthenorum, *qua, territorii parte ab Exarchatu Apostolico Ruthenorum in media Canadia separata, novus instituitur Apostolicus Exarchatus pro fidelibus Ruthenis provinciae Saskatchewan* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 544-547).

LITTERAE APOSTOLICAE :

8 Septembris 1950 — *Litterae Apost.* Superiore jam aetate, *per quas S. Francisca Xaveria Cabrini, V., caelestis omnium Emigrantium apud Deum Patrona constituitur ac declaratur* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 455-456).

28 Novembris 1950 — *Litterae Apost.* In edito monte, *per quas Ecclesia Deo in honorem B. M. V. in caelum Assumptae in Valle Umbrosa, citra fines Fesulanae dioeceseos, dicata, ad dignitatem evehitur Basilicae Minoris, cum omnibus juribus ac privilegiis quae eidem titulo tribui assolent* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 426-428).

28 Novembris 1950 — *Litterae Apost.* Quandoquidem, *per quas Primarium Urbinatense Templum, Deo in honorem B. M. V. in caelum Assumptae et S. Crescentii, M., sacratum, titulo ac privilegiis Basilicae Minoris exornatur* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 456-457).

12 Januarii 1951 — *Litterae Apost.* Viridantes silvae, *per quas S. Joannes Gualbertus, C., publicorum silvarum ex Italia custodum praecipuus apud Deum fit caelestis Patronus* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 458-459).

16 Martii 1951 — *Litterae Apost.* Petrianae navis, *per quas nova constituitur in Urbe paroecia a S. Eugenio Papa I nuncupanda* (*A. A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 459-460).

8 Aprilis 1951 — *Litterae Apost.* Ad christifidelium salutem, *per quas in Philippinarum Insularum Republica Apostolica instituitur Nuntiatura* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 547-548).

20 Maii 1951 — *Litterae Apost.* Dominus Noster, *per quas Venerabilis Dei Famulus Julianus Maunoir, sacerdos professus e Societate Jesu, Beati nomine donatur* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 428-432).

23 Maii 1951 — *Litterae Apost.* Honoris pastoralis, *per quas curiale Templum S. Eugenio Papae I in Urbe sacrum titulo deoratur et dignitate Basilicae Minoris* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, p. 461).

3 Junii 1951 — *Litterae Apost.* Quoniam, *per quas Venerabilis Dei Servus Papa X in Beatorum Caelitum numerum refertur* (*A.A.S.* 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 462-468).

EPISTULAE:

8 Aprilis 1951 — *Epist.* Explenti feliciter tibi, *ad Card. Josephum Ernestum van Roey, Archiepiscopum Mechliniensem, quinque episcopatus lustra auspicato exigentem* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 433).

I Maii 1951 — *Epist.* Limana Universitas studiorum, *ad P. D. Joannem Panico, Archiepiscopum tit. Justinianensem eundemque Apostolicum in Peruviana Republica Nuntium, quarto feliciter revoluto saeculo ex quo Limana Universitas studiorum a S. Marco orta est* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 434-435).

ALLOCUTIONES:

9 Maii 1951 — *Ad christifideles qui Romam se contulerant, ut sacris interessent celebritatibus in honorem Beatae Caelitis novensilis Placidae Viel obeundis* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 435-437).

22 Maii 1951 — *Ad christifideles qui Urbem petierant, Servum Dei Julianum Maunoir, in Beatorum Caelitum album relatum, pie veneraturi* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 437-440).

3 Junii 1951 — *Ad exsultantium christifidelium multitudinem, in Petriano Foro pie congregatorum ob decretos Beatorum Caelitum honores Servo Dei Pio Papae X* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vl. 43, pp. 468-476).

Mira tum opera flagrantibus verbis memorans novensilis Beati Caelitis, Romanus Pontifex, quod ad Codicem iuris canonici illius jussu inceptum et potissimum confectum spectat, aiebat: « Egli però non è un estraneo mecenate o un puro teorico, soddisfatto solo nell'assegnare uno scopo, impartire un ordine e lasciare poi ad altri la intera esecuzione. La sua opera invece è contributo essenziale, è direzione effettiva. Sagace nell'astenersi dalle inutili minuzie, essa giunge però fino al concreto ed al particolare, determinando con esattezza e senso pratico le vie da percorrere, affinchè lo scopo sia conseguito facilmente, rapidamente, pienamente. Così egli operò nella Codificazione del diritto canonico, che può dirsi il capolavoro del suo Pontificato. Fin dall'inizio vi si risolve col coraggio illuminato dei grandi, affronta animosamente l'arduum sane munus *e vi si dedica con indefessa assiduità. E sebbene — per usare le parole del suo Successore Benedetto XV* [1] *— non fu a lui dato di condurre a fine l'immensa opera, tuttavia egli solo ha da essere considerato autore di quel Codice* (is tamen unus huius Codicis habendus est auctor) *e quindi il suo nome dovrà essere per sempre celebrato come uno dei più illustri Pontefici nella storia del diritto canonico, accanto ad un Innocenzo III, ad un Onorio III, ad un Gregorio IX* ».

---

[1] Cfr. *Allocut. Consist.* 4 decembr. 1916 - *A.A.S.* vol. VIII, pag. 466.

4 Junii 1951 — *Ad Virum Manuelem V. Moran, Litteras sollemniter deferentem, quibus sibi explendum credebatur munus Oratoris Extraordinarii liberis cum mandatis Philippinarum Insularum Reipublicae* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 440-442).

18 Junii 1951 — *Ad Virum Caesarem Coloma Silva, qui Litteras praebebat commissi sibi muneris testes, Oratoris videlicet Extraordinarii liberis cum mandatis Reipublicae Aequatorianae* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 450-452).

23 Junii 1951 — *Ad Virum Valterium Roberts, Angliae Legatum Extraordinarium liberis cum mandatis, Litteras legationis suae fidem facientes exhibentem* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 552-554).

2 Julii 1951 — *Ad eos omnes, qui internationali catholicorum adfuerant Conventui, Romae habito, ut dignae ruricolis proveherentur vitae condiciones* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol.. 43, pp. 554-556).

Post significatum agriculturae momentum, Romanus Pontifex de oeconomica disciplina loquitur, quae machinarum usu praecipue nititur (*vulgo* capitalismo industriale) *ad comparanda hominibus necessaria; eamque edicit justis contineri oportere finibus, ut exspectatos prosperitatis fructus afferre queat. « Tout bon esprit — ait enim ipse — doit reconnaître que le régime économique du capitalisme industriel a contribué à rendre possibile, voire à stimuler le progrès du rendement agricole; qu'il a permis, en maintes régions du monde, d'élever à un niveau supérior la vie phisique et spirituelle de la population des campagnes. Ce n'est donc pas au régime lui-même qu'il faut s'en prendre, mais au danger qu'il ferait courir, si son influence venait à altérer le caractère specifique de la vie rurale, en l'assimilant à la vie des centres urbains et industriels, en faisant de la « campagne », telle qu'on l'entend ici, une simple extension ou annexe de la « ville ». Atque, recensitis incommodis quibus impraesentiarum perturbatur agrestis oeconomia, primarium eorundem remedium in eo esse docet ut terrae cultio familiarum coetibus exercenda committatur, quippe qui, ipsa suadente natura, huiusmodi muneri explendo aptiores appareant; hodiernae vero technicae artis inventa illud non subrogare, sed indemne relinquere, juvare et complere debent.*

NUNTII RADIOPHONICI :

22 Aprilis 1951 — *Nuntius radioph. ad sacrorum Antistitites et christifideles, qui ex universa Guatimalensi Republica in urbem eiusdem nationis principem coierant, Eucharisticum Conventum celebratum* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 443-445).

I Julii 1951 — *Nuntius radioph. ad puellas hispanicas in Consociationem Actionis Catholicae coalescentes ac Matriti, nationali indicto Coetu, quinque exacta lustra ab eadem Consociatione condita celebrantes* (*A.A.S.* - II Augusti 1951, vol. 43, pp. 558-560).

SACRA CONSISTORIA :

18 Maii 1951 — *Consistorium secretum in consueta Apostolicae Vaticanae Domus Aula est habitum, in quo Purpuratorum Patrum Collegii perula Cardinali Mercati traditur, novo per annum Collegii eiusdem Camerario; multae providentur dioeceses; causae referuntur nonnullorum Beatorum Confessorum ac pallia postulantur* (*A.A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 401-409).

Eadem die inque eadem Aula Consistorium publicum convocatum est, ut variae Beatorum Confessorum pertractarentur causae (*A. A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 409-410).

4 Junii 1951 — *Consistorium semipublicum in memorata Aula est celebratum, in eoque adstantes suffragia ferunt de opportunitate sanctitatis infula decorandi Beatos Caelites, de quibus nuper* (*A. A.S.* - 22 Junii 1951, vol. 43, pp. 410-412).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS :

17 Februarii 1951 — *Decretum, quo Castrensis Vicariatus in Canadia conditur* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 477-479).

23 Aprilis 1951 — *Instructio emittitur de Vicariis Castrensibus* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 562-565).

8 Maii 1951 — *Decretum, quo titulus Praelaturae nullius Beatissimae Virginis Mariae a Ss.mo Rosario adeo mutatur ut eadem Praelatura posthac appellari debeat Pompeiana seu Beatissimae Virginis Mariae a Ss.mo Rosario* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 479-480).

12 Maii 1951 — *Decretum, per quod vetantur Episcopi civilibus nobilitatis titulis in suis insignibus uti* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, p. 480).

2 Junii 1951 — *Epistula ad Hispaniae Ordinarios de idoneis deligendis sacerdotibus, qui spiritalem militum exerceant curam* (*A.A.S.* - 11 Augusti 1951, vol. 43, pp. 565-566).

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE:

8 Februarii 1951 - *Decretum, quo nomen Vicariatus Apostolici de Chaco in Boliviana Republica mutatur in Vicariatum Apostolicum Cuevensem, ex urbe in qua eius commoratur Ordinarius* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 481-482).

8 Martii 1951 — *Decretum, per quod praescribitur ut Apostolicus Vicariatus de Katanga Septemtrionali in Congo Belgico deinceps Vicariatus Apostolicus Kongoliensis nuncupetur* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, p. 482).

8 Martii 1951 — *Alio item Decreto statuitur Vicariatum Apostolicum de Lwangwa in Rhodesia Septemtrionali Vicariatus Apostolici Abercornensis nomine in posterum esse vocandum* (*A.A.S.* - 3 Julii 1951, vol. 43, p. 483).

10 Maii 1951 — *Per Decretum jubetur ut Apostolicus Vicariatus Nili Superioris in futurum Vicariatus Apostolici Tororoënsis appellatione veniat* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, p. 484).

S. CONGREGATIO RITUUM:

27 Martii 1951 — *Emisso Decreto edicitur constare de miraculis Beati Caelitis Ignatii a Laconi, laici professi ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, intercessione patratis* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 485-486).

27 Martii 1951 — *Decretum, quo praecipitur tuto procedi posse ad Beatorum Caelitum fastis adscribendam Venerabilem Mariam Teresiam Couderc, sociam fundatricem Societatis Dominae Nostrae a recessu Coenaculi* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 487-488).

1 Maii 1951 — *Per Decretum praestituitur procedi tuto posse ad sanctidunis honore decorandam Beatam Mariam Dominicam Mazzarello, Instituti Filiarum Mariae Auxiliatricis sociam conditricem* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 489-490).

1 Maii 1951 — *Per aliud Decretum pariter praefinitur tuto procedi posse ad sanctitatis infula honestandam Beatam Aemiliam de Vialar, fundatricem Instituti S. Joseph ab apparitione* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 490-491).

11 Maii 1951 — *Decretum promulgatur, quo praescribitur procedi tuto posse ad sanctitatis laurea exornandum Beatum Antonium Mariam Giannelli, Confessorem, Bobien. Episcopum, Congregationis Sororum B. Mariae V. ab horto conditorem* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 492-492).

11 Maii 1951 — *Decretum, quo tuto procedi itidem posse statuitur ad Sanctorum Caelitum numero accensendum Beatum Franciscum Xaverium M. Bianchi, sacerdotem professum e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli, Barnabitarum* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, pp. 493-494).

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS:

1 Novembris 1950 — *Decretum publicatur, quo Catholica studiorum Universitas Portalegrensis in Brasilia conditur* (*A.A.S.* - 2 Julii 1951, vol. 43, p. 495).

ANTONIUS MAURO

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Via Tripoli, 54. (Tel. 88.19.20)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950

TIP. ED. M. PISANI - ISOLA DEL LIRI